

95
(Folge 55. 1879. 43. B.)
1517, 12d

DISSERTATIO IVRIDICA;
QVA DOCTRINA VVLGARIS
MAIOREM A FEMINIS,
QVAM
A VIRIS,
REQVIRENS
CASTITATEM,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO
DOMINO CAROLO,
PRINCIPĒ BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBVRGENSI, CETERA,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
NICOLAO HIERON. GVNDLINGIO
ICTO,
SACRI TRIBVNALIS, QVOD EST IN DVCATV MAGDE-
BVRGICO, CONSILIARIO REGIO, IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
ITEMQUE ELOQUENTIAE ET ANTIQVITATVM PROFES-
SORE PVBLICO ORDINARIO,
SVB EXAMEN REVOCATVR
A. R.
IOANNE HENRICO BENZ,
ONOLDINO FRANCO.
AD DIEM FEBRVARII CIO 10 CCXVII.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
RECUSA MDCCXXXVI.

DISSERTATIO IAVINICA
OVA DOCTRINA AAGGARI
MADREM A HENNI
A VRIIS.
CASTITATIM
DOMINO CRYOPO.
NIGRO HIRION GANDINGO
JOANNI HENRICO LEX

ONTOLOGIA
AD DVM TERRAM QD SCDXVN
HABET MECOMPARABILITAT
SUS QVINDI HIRIOI CHYB
MELIOR

A SON ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEVR
LE PRINCE

GVILLAUME FREDERIC

MARGRAVE DE BRANDEN-
BOVRG, DVC DE PRVSSE, MAGDE-
BOVRG, STETTIN, POMERANIE, DES CASSV-
BES, VENDES, MECKLENBOVRG, EN SILESIE,
ET CROSSEN, BOVRGGRAVE DE NVREMBERG,
PRINCE DE HALBERSTADT, MINDEN, CAMIN,
VENDEN, SVERIN, ETRACEBOVRG, COMTE DE
HOHENZOLLERN, ET SVERIN, SEIGNEVR
DE PAY\$ DE ROSTOC, ET
STARGARD

&c. &c. &c.

MONSEIGNEVR
A SON ALTESEE SIRINISSIME
MONSEIGNEVR
LE PRINCE
GAILL A VME
ERHDERIC

I les présents, qu'on fait aux Grands et aux Souverains, devoient être toujoures proportionés à Leur rang et à Leurs eminentes qualités;
ie

ie pourrois biens me passer, d'offrir
à VOTRE ALTESSE SERE-
NISSIME cette Dissertation, qui
pour être née dans la poussiere de
l'école, ne sauroit nullement sou-
tenir l'eclat dont VOTRE AL-
TESSE est environnée. Mais
étant persuadé, que Sa Clemence
et Sa Generosité ne le cedent po-
int à Sa Grandeur, et qu'ELLE a
toûjours été très affectionnée aux
gens de Lettres, je ne crois pas
trop hazarder en LVI consacrant
ces primices de mes études Aca-
demiques. Je supplie donc très
humblement Votre ALTESSE
SERENISSIME, d'agréer ce pe-
tit présent, comme le tribut d'un
fidele sujet, dont la pauvreté ne

per-

permet' pas ; de LVI marquer plus
parfaitement, avec combien de Zele,
de resignation et de profond respect
il est & sera toute sa vie

MONSEIGNEVR

**DE VOTRE ALTESSE
SERENISSIME**

*Le tree's humble, tre's obeissant et tre's
fidele serviteur et sujet*

JEAN HENRI BENZ.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Prefatio §. I. & II. *Origo Brocardi et doctrinæ huius monstratur, et ex Glossa deducitur.* §. III. *Consensus morum Romanorum.* §. IV. *Qui quomodo a philosophica castitatis idea abierint ostenditur. Castitatis iuridicæ et philosophicæ differentia.* §. V. *Effectus primus huius doctrinæ in Adulterio, qui §. VI. copiosus proponitur ex iure Romano secundum potissima capita §. VII. Hodierna praxis circa adulterium unde orta?* §. VIII. *Nostra sententia de adulterio in relatione ad presentem doctrinam, praescindendo a lege positiva.* §. IX. *Secundus effectus huius doctrinæ in pena concubitus cum mancipiis.* §. X. *Tertius effectus in secundis nuptiis.* §. XI. *Cuius conjectaria feminis olim tantum odiosa denique etiam ad viros extensa.* §. XII. XIII. & XIV. *Conjectariatria reliqua solis feminis odiosa.* §. XV. *Quomodo in iure Canonico secundæ nuptiæ habeantur?* §. XVI. *Iuris hodierni usus. Cur horum iurium mitior sit, quam Apostolicæ doctrinae sententia?*

tenia? §. XVII. Quintus effectus in exheredatione ratione
personæ exheredandæ. §. XVIII. De meretricis significatione
disquiritur, inde oppositio adequata inter masculum & femi-
nam formatur. §. XIX. Cur pena exheredationis masculos
impudicos non æque maneat, ac feminas impudicas? §. XX.
Quintus effectus ratione personæ exheredantis. §. XXI. Sextus
effectus in sponsaliorum dissolutione propter errorem circa vir-
ginitatem §. XXII. Status questionis generaliter proponitur.
§. XXIII. Quid iuris circa hunc errorem secundum Romanos,
Graecos, Canones. §. XXIV. Protestantium doctrina §. XXV.
Inter quos tamen plerique inter sponsam & sponsam distingui-
unt. §. XXVI. Dissidentium Carpzouii & Strykii argumen-
ta. §. XXVII. Quibus respondet. §. XXVIII. Tandem etiam
ex mente aduersariorum usus doctrinæ nostræ probatur.
§. XXIX, XXX, XXXI. Effectus doctrinæ nostræ spurius in
substitutione fideicommissaria filio vel filie facta reiicitur. Con-
clusio.

PRAE-



PRAEFATIO.

Feminæ quo imbecilliores semper sunt habitæ, eo majori commiseratione dignæ visæ fuerunt. Quæ ratio impulit Doctores nostros, vt vnanimi fere consensu docerent, seminarum meliorem esse præ masculis conditionem, vbi de infirmitatis excusatione agitur. Saltem, hoc ad Tit. π. de statu Hom. ad nauseam vsque inculcant. Quin & eo processit Legislatorum facilitas, & mansuetudo, vt mulieribus sexus fragilitatis lapsis etiam cum damno alterius succurrendum censuerint, parum pensi habentes, quid in contrarium naturæ leges toti humano generi communes suaderent, quod ex SCti Velleiani historia satis liquido apparet. Quam obrem mirum alicui & tantum non prorsus inconcinnum videri posset, quod iidem Dd. tra-

A de-

dere solent, maiorem a feminis, quam a viris re-
quiri castitatem. Sane cum in nulla re magis
conspiciatur humana imbecillitas atque in pudi-
citiae custodia, quid aliud nisi durities aut inhuma-
nitas est, maius onus imponere feminis, na-
turæ vitio debilioribus, quam viris, eiusdem na-
turæ beneficio præstantioribus? Imprimis cum
depravati iuuenium virorumque mores ad eum
peruersitatis gradum peruerterint, ut quo quis in
solicitandis corrumpendisque feminis forio-
rem & niagis strenuum se gesserit, eo maiorem
sibi gratulandi felicitatemque suam prædicandi
causalam habere sibi persuadeat. *conf* quæ elegan-
ter hanc in rem obseruauit CL. BAEIUS in *Diss.*
Hist. Crit. voce VAYER p. 2919. Quodvtcunque
sit, inuenitur tamen in omnibus fere libellis se-
quens Brocardicum : MAIOREM A FEMINIS
QVAM A VIRIS REQVIRI CASTITATEM, MA-
IORIQVE ODIO PETI ILLARVM QVAM HO-
RVM IMPVDICITIAM, multis modis commen-
datum & pro certo assumtum. Quin afferunt
rationes, quibus inducti illud probant. Quæ
res vehementer me incitauit, vt de hoc argu-
mento utri simul ac iucundo paullulum copio-
fius excutiendo consilium ceperim, idque præ-
senti hac dissertatione faciendum decreverim.
Ut vero statim ab initio scias, benebole Lector,
quæ

quæ mei sit instituti ratio, & quid a me sperandum, accipe: Selegi præcipua ex iure capita, quibus hæc doctrina maxime conspicua redditur, & in quibus vsum aliquem vel olim præsttit, vel adhuc præstat. Adduxi rationes & leges, quibus Dd. in singulis vti solent, adductasque ad rectæ rationis & iurisprudentiæ examen reuocauit. De industria autem argumentis illis topicis, quibus hanc doctrinam illustrare solent, abstinui, quo rum in numero imprimis a PLINIO L. VII. H. N. c. 12. narratum colloces, quando adfirmat, feminarum cadavera a quis extinta prona fluitare; cum euehuntur flictibus, virorum supina, natura ipsa pudoris disciplinam inter defuncta corpora discernente: Quo sane carere possumus, vbi in cathedra iuridica stantes ex iuris effectibus monstrare satagimus, maiorem a feminis quam a vi ris requiri castitatem: quos si non omnes vnu obtinere, sed plerosque Romanæ ac veteri iurisprudentiæ conuenire inueneris, non ideo mihi irascaris, precor, quod iis euoluendis operam dede rent: potius perpendas, rogo, a iuuenili ingenio non esse sperandam rerum mere practicarum fastiosam disquisitionem, vt quæ viris tantum in foro ætatem argentibus merito relinquitur: Mihi satis fuit, industriam qualicunque specimine probasse.

A 2

§. L

Cum in quacunque retractanda dimidium operæ illi confecisse videantur, qui eius originem & causas rite inuestigant; ita in præsenti iureconsultorum doctrina explicanda feliciter progressus me facturum confido, si natales eius in luce constituam, & quos habuerit auctores & nutricios fideliter explorem.

§. II.

Foretautem Inanis plane & miseræ diligentia, si expressam legem hic excitare, eique doctrinam hanc superstruere laborem. Deprehendi enim satis anxia inquisitione edoctus, nihil eiusmodi rotum iuris nostri corpus continere. Sed quemadmodum multa iuris-prudentiæ nostræ capita sola Dd. auctoritate nituntur; ita & Brocardicum, quod nunc excutimus, inde fluxisse pro comperto habeo. Sedes huius materiae est in Glossa ad L. Palam. §. que in adulterio ff. de Ritu nupt. quando enim Vlpianus docet, feminam in adulterio deprehensam ipso iure infamem fieri sine præcedente sententia, conditores Glossæ notant, differre in eo feminas a masculis, quippe ad quos propter adulterium infamandos requiratur iudicis sententia, argumento ex L. 2. §. 3. de his, qui non inf. satis subtiliter deducto. Cuius niuersitatis non aliam rationem reddunt, quam q[uod] o[mnis] MAIORI ODO HABEAT VR FEMINARVM, QVAM VIRORVM, IMPUDICITIAS MAJORQUE A FEMINIS, QVAM A VIRIS, REQUIRATVR CASTITAS. Non mirandum autem, tam proclives fuisse Glossatores ad hoc principium stabiliendum, cum quam sint Itali ho-

& A

mines feminæ pudicitiæ seueri custodes, puam contra masculinæ impuritatis faciles patroni, nemo ignoreret. Secuti sunt hos antesignanos Doctores postumi cateruatum, iisque non infimi subsellii, sed primi ordinis, ex quibus si nominauero a) Andream Tiraquellum, b) Franciscum Connanum, c) Scipionem Gentilem, d) Conradum Rittershusium, e) Paulum Cypræum, f) Ioannem Geddeum, sat graues Auctores mihi videor nominasse. Et hos in eam sententiam potissimum cogit sequens consideratio, quod doctrinam huius Brocardiæ non tantum cum moribus Romanorum optime conspirare, sed etiam in ipsis rerum actibus conspici, & ad capita iuris non exigui momenti porrigi deprehenderint. Id vero ipsum est, quod nunc amplius declarandum mihi sumam.

§. III.

Et ut de Romanorum moribus dicere accipiā, pleni sunt omnes ex antiquitate superstites libri testimoniorum de feminarum apud Romanos arctissima custodia, de que laxa apud eosdem masculorum licentia. Feminas enim in duas quasi classes distinxerunt, honestorum vnam, aiteram vilium & abiectæ conditionis. Illas castitate fere sola æstimarunt, ex qua, quicquid ornamenti in pulchriorem sexum retundat, fluere merito existimarunt. Has eas veluti veste semper tectas operatasque, hanc earum præcipuum firmamentum dicunt.

A 3. Et

- a) in I. Legem coniub. Gleſſæ prime part. I. n. 45.
- b) Comment. Iur. Ciu. L. VII. cap. 7.
- c) Tractat. de secund. nupt. in principio.
- d) ad Novellas Part. IV. c. IV. §. 6.
- e) de Sponsalibus cap. XIII. §. 57.
- f) ad L. 101. n. 4: f. de verb. signif.

Et hinc vero variis institutis cauebant, ut ea in tuto collocata durare illibata. Cuius rei tam ex domestica, eorum vita, quam ex publicorum negotiorum argumentis supersunt clara vestigia. Virginum quippe pudicitia nihil ipsis sanctius erat, nihil maiori diligentia seruandum. Hoc patris cuiuslibet votum, haec erat sententia quam Plautus refert in Epidico

*Non nimis potest
pudicitiam quisque seruare filiae sue*

Nullum igitur maius familie potris dedecus credebant inferri, quam filiae corruptione. Malebant hanc mortuam quam vitiatam: quo de egregium affert exemplum VALENTVS MAXIMVS L. VI. c. 1. in Virginio; qui cum Appius Claudius Xair filie eius virginis suprum pertinaciter expeteret, deductam in foro pueram occidit, pudicæque interemtor, quam corruptæ pater esse maluit. Quid? quod feminæ innuptæ, ne vel minima re offendarentur, non tantum a balneis & publicis lauationibus, sed etiam a g) coniuiji penitus arcebantur. Varro in Agatone apud Nonium: Virgo de coniuicio abdicabatur ideo, quod maiores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. Quibus addo notissimum de Manlio, senatorii ordinis viro, exemplum, quem, cum uxorem suam praesente filia impudice osculatus esset, Cato Censor Senatu motum notauit ignominia. Plutarch. in Cat. Mai. Nec aliam rationem, cur dotis causa apud Romanos semper tam favorabilis fuerit habita, allegari posse credo, quam quod castitati innuptarum meliori consilio prospici posse desperauerint atque matrimoniorum acceleratione. Et quid aliud ostenderunt Legislatores,

quam
g) conf. Muretus Var. Lect. VII. cap. 2.

quam peculiarem suam de virginum castitate sollicitudinem, quando tutorem pupillæ stuprum inferentem tam atrocibus pœnis censiore coercendum? Feminis nuptis vere, quamuis liberiori paulo aura frui licuerit; tamen adeo eas constrictas voluerunt & custoditas, ut quantum viris pudicitia præstare voluerint, Romani, facile inde colligatur. In conuiuis quidem (quem enim Romanorum pudebat uxorem ducere in conuiuum? teste Nepote) ad mensam sedebant, non autem, ut viri, stratae recubabant, teste *Valerio Maximo* L. II. c. 3. quod seueritatis satis scrupulosæ exemplum indicio est, Romanos, si ex moribus hodiernis forent iudicandi, rusticitatis paulo iniquioris reos futuros. Vini usum vero non aliam ob caussam feminis suis interdixisse videntur, quam ne in aliquod dedecus prolaberentur. Saltem idem Valerius affirmat, proximum a Libero patre esse consueisse intemperantiae gradum ad inconfessam venerem. Hinc oscula, quibus marito & cognatis foliis feminas obuias salutare permissum, in productionem earum introducta sunt, ut clandestinus vini usus manifestaretur. Et ut publice monstrarent Romani, quantum sibi curæ cordique esset feminarum verecunda species, peculiaria instituerunt sacra, quibus eam quasi Deam celebrarent, quod ex loco *Liuii* L. X. clarum fit, ubi memoriarum proditur, Virginiam Auli filiam, quod *Patriciae* plebeio nupsisset, a sacris Pudicitiae *Patriciae* fuisse exclusam. Forse eodem referas Veneri Verticordiae consecratum simulacrum. quo facilius virginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam conuerterentur, ut ait Valerius L. VIII. c. 15. II. 12. conf. *Baelius* sub voce *Sulpicia* n. A. Id

cer:

certum, muliebris pudicitia venerationem tam late se
 porrexisse, vt etiam strictum illum & rigidum iudicio-
 rum Romanorum ordinem interuerteret. Idcirco e-
 nim mulieres non poterant ab aduersario suo renite-
 tes in ius trahi, ne earum verecundia periculum subiret.
 Audiamus iterum Valerium L.II, cap. I, n. 3. Sed quo
 matronale decus verecundie munimenta tutius esset, in ius
 vocanti matronam corpus eius attingere non permiserunt, vt
 inuolata manus alienae tactu stola relinquatur. Ex quo
 appetit publicae utilitati, quae est litium breuis exitus
 & finis, antepositam fuisse verecundiæ muliebris cu-
 ram. Eadem fecit, vt ne causis in foro agendis &
 defendendis se immiscerent: quodcum non sibi crederet
 dictum & obseruandum Afrania, Licinii Bucconis Se-
 natoris vxor, prompta ad lites contrahendas, pro se
 semper apud Prætorem verba faciens, & in usitatis la-
 tratibus assidue tribunalia exercens, muliebris denique
 columnæ notissimum evasit exemplum, sape laudato Valerio
 adnotante. Sat, credo, testimoniorum adproban-
 dum, quantum pudicitia & verecundia a feminis ho-
 nestis exegerint Romani. Alteram feminarum clas-
 sem, vt moribus & vitæ genere, ita ciuili aestimatio-
 ne, externo habitu, vestibus ab honestis distinctarum,
 inter excrementsa ciuitatis, inter fordes urbis Roma-
 ni numerabant: non alio consilio tolerantes, quam
 vt seruirent iuueniibus virisque miseram & contemtis-
 simam seruitutem, & honestas feminas ab insultibus li-
 bidinisorum hominum, veluti scuto obiecto, defende-
 rent. Inde lupanarium usus publicus permissus, lon-
 ga in Ciuitate Romana confuetudine firmatus, de quo
 æque ac de censu meretricibus imposito, deque merce-
 de

de ipsis debita simulta hic dicere vellem, actum agerem; egit enim id iam personatus Huartus de Cleman-
gis peculiari Dissertatione Nouæ Bibliothecæ Tom. IV. p.
609. inserta. Non possum autem non hinc repetere
duo loca, quæ laxam illam apud Romanos masculo-
rum in libidine explenda libertatem clarissime ante
oculos ponunt. Vnus est ex Horatii L. II. Sat. II
n. 31.

*Quidam notus homo cum exiret fornice, madet
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis:
Nam simul ac venas instanit tertia libido,
Huc iuuentes aquam est descendere.*

Hæc Cato dixit, rigidissimus ille vitiorum Censor, nec dixisset forte, nisi mores sæculi ita tulissent. Et ne existimes, Poetam iusisse, sit alter locus ex Cicero-
nis Oratione pro M. Cœlio c. XX. Verum si quis est,
qui etiam meretricis amoribus interdicendum iuuentui puret,
est ille quidem valde severus, negare non possum: sed abhor-
ret non modo ab huius sæculi licentia, verum etiam a maiori-
rum consuetudine atque concessis; quando enim hoc non fa-
ctum est? quando reprehensum? quando non permisum?
quando denique fuit, ut, quod licet, non licere? Num ve-
ro credis, Ciceronem hæc ita in conspectu totius ciui-
tatis Romanæ proferre ausum, nisi temporum consue-
tudo probasset? Addo his gemina loca, Plauti vnum, al-
terum Terentii, qui, ut postulat Comœdiæ institu-
tum, mores Romanorum, quamuis aliis sub nominibus,
scite solebant depingere. Plautus ita in *Curcul.*
Act. I. Sc. I.

B

Ne-

*Nemo ire quemquam publica prohibet via:
Dum ne perfundam septum facias semitam,
Dum tute abstineas nupta, vidua, virgine,
Inuentuſe & pueris liberis, ama quid lubet.*

Terentius in *Adelph.* *Act. I. Sc. II.* breuiter & rotunde:
Non eſt turpe, mibi crede, adolescentulum ſcontari. Ex qui-
bus facile intellectu eſt, Romanos masculis quidem li-
bidinis frena valde laxaffe, feminarum vero affectum,
quando poſſent opere, h) externis legibus coarctaffe.
Ceterum mores, vt fieri ſolet, paſſim receptos, vtut
peruerſos, in iuriſprudentiam noſtrā variis ſub figuris
& ſchematibus ſe inſinuaffe, ſequens de principiis noſtri
effectibus in jure tractatio docebit; quam antequam
ordiamur, conſultum erit, diſſertatiā caſtitatis phi-
losophicā & iuridicā monſtrare copioſius, partim vt
illorū praeſcindamus conatus, qui ex morali doctri-
na vel ex Christianæ religionis principiis doctrinam
noſtrā impugnare ſatagunt, partim vt eluceat, quo-
modo Romani a vera & morali caſtitatis idea diſceſſe-
rint, maiorem a feminis quam a viris exigentes caſtit-
atem.

§. IV.

Scilicet diſſert multipli ratione caſtitas iuriſdicā
a caſtitate philosophica. Hæc enim a ſola virtute ve-
nit, omnisque exērnatæ coactionis expers propria &
non adſeſtitia pulcritudine ſeſe commendat, utiſis o-
mni-

h) Dico externis legibus. Neque enim latet, placuisse viris
honestis & virtute præditis etiam caſtitatem in viris. Re-
fert ſponiVS in *Antiquitatibus Lugdunenſibus* inscriptio-
nem, vbi Eutychiano cuidam elogium VERGINIS ad-
ſcribitur.

mnibus, nemini grauis, vbiue decora. Simulac eam
 abiicimus, & cum impudicitia, cum libidine, cum ob-
 scenitate commutamus, homines amplius non sumus
 rationis luce vtentes, sed miserrima animalcula ad in-
 teritum nostrum properantia. Quis enim dubitat,
 Deum O. M. qui nos homines esse voluit, qui que tueri
 hanc dignitatem & nomen iussit (quod fieri non pot-
 est, nisi tranquillitate animi & corporis incolumitate in
 tuto posita hanc castitatem ab omnibus æque sine se-
 xus, status, vel conditionis discriminé desiderare? Hac
 vanescente pessimi affectus in animum sibi imperium
 sumunt, & foedissimis voluptatibus viam patefaciunt,
 qua patefacta totum hominis σύνημα ruat & soluatur ne-
 cesse est. Cuius pulcritudinis imago vti in morali do-
 ctrina in omnium fæse oculos ingerit: ita paullo aliter
 in Iurisprudentia & disciplina politica appetet. Hic
 enim solum id respicimus, quod scopo Reipublicæ
 prorsus contrarium est, id solum præcauemus, quod
 eius externæ felicitati tranquillitatique obest. Quam-
 obrem cum in ciuitates coiuerint homines, non vt vir-
 tutem exercent (quis enim non videt, extra Rempu-
 blicam eam magis commode & procul omni prauo-
 rum exemplorum metu exerceri fortassis posse?
 sed vt ab insultibus hostium, ab iniustitia malorum
 se tutos præstant, haud difficulter appetet, non
 id Legislatoris officii rationes exigere, vt virtutem
 in omnium ciuium animos infundat, eosque ad phi-
 losophicam quandam perfectionem adducat. Vir-
 tus enim non est, nisi spontanea, coacta virtus est
 σύνθετος: vult ea suaderi, doceri, non iuberi, non
 extorqueri. Legislator autem primario nec suadet, nec

docet, sed iubet, sed vetat, sed sub pœnali sanctione præcipit, & cogit, hinc in virtutem ipsi nullum imperium, nula iurisdictio. Quod de virtute dicimus etiam de castitate valere debet, quia illa ex virtute nascitur. Inde vero est, quod castitatem nihil ad edictum Prætoris & legislatoriam potestatem pertinere creditum sit. Si contingit, ut Imperantes castitatem ciuiibus præcipiant, sit id non alio, quam tranquillitatis vel honestatis externæ intuitu. Vnde claret, veram & genuinam castitatem in auras elabi, quando iubetur, & obiecta pœna sancitur. Quicquid hic obseruat, nuda quædam ab externo actu abstinentia est, quæ siue i) sponte fiat, siue ab inuitu, parum principis interest. Non id curatis, quibus stimulis intrinsecus virginalis, quod libidinis æstu conflagres, dummodo non erumpere finas clausam turpititudinem, & latenter pruriuum occultas. Id si feceris, iuridice quidem castus es, sed noli persuadere tibi, te philosophicam, multo minus Christianam castitatem esse affecatum. Finge enim,

- i) Felices sub tali lege illi, qui temperamenti quadam imbecillitate casti sunt: hi enim quin sponte legi obtemperent, non impediuntur. Sed valde vereor, vi hi virutis laudem mereantur, quam obtinere nemo potest, nisi quia suas cupiditates deuicerit. Quomodo autem is cupiditates deuicisse dici poterit, qui eas non haber? Placet sententia Abdiæ Trew, Mathematici Altdorfini, in Progr. apud HENNINGIVM WITTENIVM Memor. Medic. vbi de Iungermanno Collega celibem vitam traducente: *In quo (celibatu) non est necesse continentiam predicari, qua nulla in ipso opus erat, virtus enim est cum lucta, Aristotele censore, coniuncta, cuius indicium nulla, que unquam in hoc genere emicaret, flamma præbere animaduersa est.*

nim, legem abesse, quæ te castum esse iubet, an tum etiam pudicitiam seruabis? non credo, quia anguem in sinu fones & lacinianti cupiditate affidue agitari, quæ lege remota, non secus atque aquæ perrupto aggere, subito se effundet, & concitato impetu effluet. Quid plura? satis est monuisse, Legislatorem, quando castitatem lege iubet proposita, non eo id facere animo, ut virtutem iubeat, sed ut Reipublicæ commodum pacisque tueatur: vel, non præcipere Principem castitatem primario, sed consequenter tantum, alii sæpe vtilitati intentum, abstinentiam a Venere etiam licita iniungere. Cum itaque euenire poslit, ut Reipublicæ conducar, hunc illumne magis castum esse, non mirandum est, cur maiorem ab aliquibus exigat castitatem & maiori odio prosequatur aliorum impudicitiam. Cape exemplum ab ebrietate, vel etiam a somno, re magis indifferente, cur ea in milite excubias agente grauius puniuntur? nonne ob publicam vtilitatem, quæ hic magis periclitatur? Simili ratione, ut statim exemplum ex nostra doctrina subiungamus, Romani in adulterii crimen magis impudicitiam muliebrem respexerunt, quam virilem inuercundiam; fecerunt id illi procul dubio propter suppositionem foetus alieni, qua & maritus, & legitimi aliquando liberi grauissime laeduntur, ille onere alendi sibi imposito, hi diminutione patrimonii. Accidit etiam non raro, ut leges moribus ciuium vtcunque in ciuitatem infusis se se accommodent, quia vbi iam sunt inveterati, simul ac uno istu tolli nequeunt, quod infra, vbi de secundis nuptiis agemus, latius declarabimus. At caue existimes, Principem ciuitatis maiorem ab hoc exigentem castitatem ab altero exi-

stanslibet anno T idonei x

ge-

gere nullam. Optatis, si bonus, omnes ciues virtuti deditos, quia quo magis ad virtutem accedunt, eo magis tranquillitati publicæ student, sponte, quod facere debent, facientes & minori difficultate obsequium legibus exhibentes. Ceterum repetimus, non obligari Legislatorum, ut æqualem omnibus imperet castitatem; aliquibus, prore nata, cuiuslibet pudori relinquere potest, quum, quæ virtutis sunt, coactionem legis respuant. Quamobrem falsum fuisse & Zelo nimium indulisse k) Alesium, Francofurtanum primo, deinde Lipsiensem Theologum, pronuncio, publice edito scripto propugnantem, ad principis utique officium pertinere, ut omnem is impudicitiam e Republica funditus ejiciat. Eius enim generis libello suopte indicio prodidit, quam non intellexerit Reipublicæ neruos, nec virtutis indolem, quando civili eam imperio subiiciendam creditit. Forte haud dixerim inepte, foro Theologico, ad quod illa pertinet, Theologum non nihil subtraxisse. Verum attende tamen! Nam cum ad legem ciuilem solum hoc pertinere adseueramus, quod iustitiae promouendæ inferuit, non negamus, imo potius volumus, debere etiam certo modo honestatis rationem habere Legislatorem, verum non ipsius honestatis intuitu, sed iustitiae obtinendæ & publicæ quietis conseruandæ caussa. Quod si enim illa nimium a ciuibus negligitur, facile sceleribus & omni iniustitiæ aperiretur fenestra. Speciatim de voluptate tenendum, eam, ubi nimium laxantur fræna, vires accipere, & latius furorem fundere, qui tandem ad vetita, turpisflamma

k) refert eius historiam Bælius in Diſ. H. C. sub hac voce ex Iacobi Thomæ Schediasmate.

ma, ad domos alienas, ad toros connubiales usque
graflatur. Quæcausa est, cur Romanos grauiter pec-
casse statuamus, masculis tam prolixam libidinem in-
dulgentes: quam denique publica lupanarium toleran-
tia magis auxit, simulatque effecit, vt saluberrimæ le-
ges de adulteriis & stupris coercendis latæ vel effectu
fuerint destitutæ, vel in irritum plane ceciderint.

§. V.

Sed tempus nunc eit, vt ad rem ipsam deueniamus, &c, quas doctrina nostra de maiori castitati a fœ-
minis, quam a viris, requisita vel habuerit, vel adhuc
fecum trahat, in iure consecutiones euoluamus, ne vi-
deamur de non-ente disputare. Primum igitur locum
tribuimus **ADVLTERIO**, quem crimen hoc vel ideo
meretur, quod maxime conspicuum reddit, quod ex-
cutimus, principium, & pecularem Romanorum phi-
losophiam conficiendam præbet. Est enim tralatiti-
um, Romanos definiuisse adulterium per concubitum
cum aliena vxore, quod clarissime l. 6. ff. §. 1. I. 34. §. 1.
ad L. *Ins. de adulst. coïrc.* probant, quin totus titulus id
loquitur, adulterium tantum in nuptiam & a nupta com-
mitti. Quod mihi argumento & sufficienti, Roma-
nos hoc crimen feminis quasi proprium fecisse, & dum
eius pœnam in masculos propagarunt, fecisse id tan-
tum feminarum intuitu, earum castitati consultu-
ros. Ita enim, ni fallor, rationes subduxerunt de
matrimonii nexu. Considerarunt nimirum matrimo-
nium, non tanquam societatem æqualem, sed coniun-
ctionis inæqualis loco habuerunt: in qua cum primas
marito detulerint, fieri alter non potuit, quam vt ab
eius

ei⁹ honore totum l) matrimonii decus dependere statuerent. Eo collineant omnes illæ nuptiarum solemnitates, sponsæ in domum sponsi deductio in manum conuentio. Nemo sane apud Veteres legit, maritum in torum vxoris venisse, sed semper vxorem mariti torum concidisse animaduertit. Inde natum est, vt Romani adulterium ad solius mariti iniuriam pertinere arbitrarentur, quippe qui solus torius habebat. Huic iniuriæ tantam atrocitatē inesse existimabant, vt infensissimo hosti male precantes hanc ipsam lecti genialis labem optarent, certi, talem iniuriam ad eum probe vexandum & cruciandum sufficere. Sic enim precatur Ouidius inimico suo, quem Ibis nomine dederat:

Nec tibi contingat matrona pudicior illa,

Qua potuit Tydeus erubuisse nuru,

conf. elegantissimum Iureconsultum Barabam Brissonium ad L. Iul. de Adult. p. 135. edit. Lugd. 155. &, si tanti videtur, Menagiana p. 341. seqq. edit. prime Bataue, vbitria Suidæ loca hoc pertinentia inuenies. Nec mirum adeo videri debet, Romanos impudicitiam numerarum

- l) Hic vero Græcos ipsis præmissis ut credam, facit sententia Peryctiones Pythagorice apud Stobæum cap. 83. Φέρεν δὲ χρὴ τῷ ἀνδρὶ πάντα, καὶ ἀτυχῆ, καὶ ἀμάρτη κατ' ἀγνοιαν, η̄ νόσον, η̄ μέθη, η̄ ἀλητού γνωστὴ συγγενῆται. Αἰδοφάτι μεν γαρ επιχωρέεται ἀμαρτίν αὐτην, γνωστὴ δὲ εἰκετη τιμωρίν δὲ ἐΦεστηκεν. Ferendi sunt omnes casus viri, et si infortunatus sit, aut delinquat per ignorantiam, morbum, aut ebrietatem, aut cum mulieribus fuerit. Viris enim hoc peccatum permititur, mulieribus non item, sed pena illi irrogatur.

ptarum tam impenso prosecutos esse odio, ut huic inten-
ti maritorum castitatem fere neglexerint. Ceterum e-
nim est, longe disparem esse conditionem vxoris ad-
ulteræ & mariti lascivientis, & maiora damna ab illa,
quam ab hoc esse cum familiæ cum Reipublica metu-
enda. Illa enim alienum fœtum marito supponit, e-
umque alendi onere grauat, legitimis vero liberis pa-
trimonium minuit, eoque multis litibus, contentioni-
bus, odiis occasionem præbet. Quæ omnia de viro
impudice viuente æqualiter prædicari nequeunt. Quin
nullus dubito, Romanos adulterium ad solas nuptias
restringentes credidisse fere, teminas indeole molliore,
fluxa & mutabili, &, quando semel libidinis exstimu-
lantur furiis, ad quoduis nefas, & insidias vitæ mariti
struendas ad cædes perpetrandas videri aptas, eaque
ratione cauendum censuisse, ne ciuitas clandestinis
criminibus deformaretur. Saltem Catonem huc respe-
xisse animaduerto, quum contra adulteram feminam
parricidii accusatam beneficij præsumptionem valere
voluit, teste m) Quintiliano Instit. Orat. L. V, C. II: Si

C caussam

- m) Adscribo Bælii de hac præsumptione iudicium, quod æqui-
rate sua non minus quam soliditate sese magnopere com-
mendat. Ita enim ille in Diæt. Hist. Crit. sub voce Por-
cius lit. Q. *Quintilien a raison de croire, qui cette sen-
ce de Caton étoit de poids dans les causes, qu'il spécifie, mais
généralement parlant elle n'est pas recevable.* S'il est con-
stant, qu'un mari est mort de poison, & que sa femme avoit
commis adultery, ceux qui la croient coupable de la mort de
son mari, se fondent sur de fortes préfinitions, & ils peu-
vent alleguer son adultery comme un très bon préjugé: mais si
l'on vouloit conclure sans exception, que, puisqu'une femme
n'est

*catifam veneficii dicat adultera, non Marci Catonis iudicio
damnata videatur, qui nullam adulteram non eandem esse ve-
nificam dixit? His principiis innixi Romani variis ad-
ulteras pœnis coercerunt, de quibus, cum id argu-
mentum alii iam plena manu tractauerint, mallem ta-
cere, nisi id postularet præsens instituti ratio, ut dete-
rior feminarum conditio magis ac magis ante oculos
ponatur.*

§.VI.

Iam à primordiis Romanæ Reipublicæ concessit Romulus marito ius occidendi vxorem adulteram iudicii in causa propria illustre exemplum statuens. Testis & Dionysius Halicarn. L. II. *Si qua in re peccasset (mulier) ipsum, qui iniurias passus erat, (maritum) iudicem habebat, penèque magnitudinis arbitrum.* De his cognoscetabant ipsi cognati cum viro, ubi violata fuisset pudicitia, & se quam mulierem vinum bibisse constitisset. Romulus enim hoc virumque, ut muliebrium deliciarum grauissimum, morte puniri iussit. Quem locum eo lubentius adduxi, quo clarius inde apparet, existimasse Romanos, decus dignitatemque totius familie in vnius feminæ impudicitia periclitari, non aliam forte ob causam, quam quod per adulterium sordido saepe & ignobiliter nati ingenuis & splendidis familiis inserantur. Sed hoc iam non ago: mihi monstrasse sufficit, marito ius occiden-

di

n° est point fidelle à son mari, elle l'empoisonnera, l'on se tromperoit. Il y a bien de telles femmes, qui sont bonnes envers leurs mari, & qui ont beaucoup de soin d'eux, quand ils sont malades, & qui en un mot ne voudroient aucunement les empoisonner, quoiqu'ils fassent ut peu de mauvaise humeur. Ainsi la maxime de Caton étoit outree.

di vxorem adulteram Romuli lege iam fuisse datum
 Firmat id Gellius L. X, c. 23, ex quo Catonis senten-
 tiam, quam in Oratione sua pro dote protulit addu-
 cere omnino e re mea est: *In adulterio vxorem tuam se
 deprehendisses sine iudicio impune necares; illa te, si adulte-
 rares, digito non auderet contingere, neque ius est.* Lo-
 cuples probatio, feminis non licuisse lecti connubialis
 iniuriam vindicare. Quamuis autem illam morum a-
 speritatem lenauerit dies, & sequentium temporum
 humanitas viri manibus extorserit vindicem gladium;
 ita vt si eum in vxoris necem vertisset, lege Cornelia
 de Sicariis stricto iure plecteretur, non cessauit tamen
 ideo priuata in adulteras vltio: duntaxat sub alia iuris
 specie legibus fuit stabilita, vel saltem permissa. Quod
 enim antea marito fuit ius occidendi, id nunc in pa-
 trem translatum fuit, *quia*, vt eleganter Papinianus l.
 22. §. 4. ff. ad L. Iul. de Adult. coerc. *pietas paterni no-*
minis plerumque consilium pro liberis capit, mariti autem
cator & impetus facile decernentis refrrenandus fuit. De-
 inde etiam Imperatores, moti iusto dolore mariti ad-
 adulterio vxoris grauiter laesi & exulcerati, mitigauerunt
 ipsius intuitu L. Corneliae rigorem, censentes vxoris
 adulterae cædem extraordinaria tantum poena compe-
 scendam, l. 38, §. 8, ad L. Iul. de Adult. & l. 1. §. vlt ad
 L. Corn. de Sicar. Quo ipso perspicue monstrarunt,
 non adeo deferuisse vetus adulterarum odium, quin
 id ad excusandum iniustam sua ætate vindictam mo-
 menti aliquid afferre queat. Alia mariti prærogatiua
 versabatur in iure diuertendi ab vxore adultera, vel
 tantum proprii cuiusdam suspecta. Venit ea iam ex
 Romuli lege, quam Plutarchus acerbam nimis & du-

ram vocat in Romulo his verbis: Ἐθνικα δὲ καὶ νόμοις τινας, ὡν αὐτορός μὲν ἐσὶ γυναικὶ μὴ διδεῖ ἀπολέπειν αὐτοῖς, γυναικα δὲ διδεῖ εἰκαλαῖν. Leges tulit ex quibus illa dura est, que mulierem a viro diuertire vetat, ac permittit viro repudiare uxorem. Quod si exemplis hanc rem censerem transfigendam, facili defungi operaliceret. Ita Cæsar Pompeiam, quod amasium eius Clodium inter cerealia sacra domi suæ latenter inueniens, repudiauit, causatus uxorem suam non tantum crimine, sed & criminis suspicione vacare oportere, scribente Suetonio cap. 24. idem Sulpitius Gallus fecit, quod suam aperto capite foris versatam cognoverat, Q. Antistius Vetus, quod in publico cum quadam libertina vulgari secreto loquenter viderat, Sempronius Sophus, quod se ignorantie ausa fuerat ludos spectare. conf. Dio Cassius L. XXXVII. Sed si forte exempla tibi non satisfaciunt, cape doctrinæ legibus stabilitæ testimonium ex cardinali illo loco apud Plautum in Mercat. Aet. IV, sc. 6.

Ex

Easq[ue]t lege dura viuunt mulieres,
Multoque iniquiore miser e quam viri:
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si resciniit vxor, impune est viro:
Vxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro sit causa, exigitur matrimonio.
Vtinam lcx est eadem, que uxori est, viro. (n)

(n) Est huic toto parallelus Euripides in Medea n. 230. qui non est a me omitendus, cum morum Romanorum Graecorumque consonantiam egregie demonstret;

Hab.

Ex quo sane luce meridiana clarius adparet, Plauti tempore fœminas longe duriori iure in adulterii diuortitione caussa fuisse vias, quam viros. Quamuis enim non nesciam, tantam aliquando in vrbe natam fuisse morum dissolutionem, ut quotannis prope vxores mutarent virum, atque annos frequentius a maritorum, quam a consulum serie numerarent, non dubito tamen, quin id ad factum potius, quam ad ius pertinuerit. Quo imprimis hic Plautilocus facit. Et credo, vel morum in melius mutatione, vel Prudentum interpretatione, vel etiam lege quadam coarctatam fuisse istam laxissimam repudiorum licentiam, atque ad caussas ea de re

C 3 co-

Πάντων δέ ὅσον εἴης ἐμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
Τυγχάνεις ἐσμέν τιθλιώτατον Φύλον.
Ἄς πρώτα μὲν δέ χειραταν ὑπερβελῆ
Ποτιν πρίασθαι, δεοποτηρή σώματα
Δαβέν. Κακός γαρ θέδε εἴη ἀλγιον πακόν,
Καν θέδε ἀγαν πέργυν Θεον, οὐ πακόν λαβέν.
Η χειρόν εἴ γαρ ευκλεῖς απαλλαγας
Τυναζεν, εὖδ' οὖν τὸν αἰγαζεν πάσιν.

Omnium autem quaecunque sunt animatae
 & mentem habent,
Nos mulieres sumus miserrima propago:
Quas primum quidem oportet maximis opibus
Comparare virum, dominumque corporis
Accipere: illo enim malo hoc longe gravius,
Et in hoc maximum est periculum, aut malum
 accipere,
Aut bonum: non enim honesta sunt divortia
Mulieribus, neque licet abdicare maritum.

coram arbitris & cognatis dicendas fuisse restrictam
 Verum hæc sunt altioris indaginis. Ceterum omnium
 apertissima est constitutio, eaque maxime doctrinam
 nostram iuuans, Constantini M. in L. I. *Cod. Theod.* tit.
de Repud. qua is iustas repudii cauſas determinaturus
 simpliciter earum numero, excludit, si vir muliercula-
 riſus, contra vero, marito repudium mittente, legiti-
 mam cauſam pronuntia, si vxor mecha. Quo ipso
 Constantinus adulterium in viris, saltem hoc capite,
 tacite voluit inultum, in feminis vero puniendum, qui
 Princeps ceteroquin mores Romanorum in melius ver-
 tere modis omnibus fategit, & peculiare adulterio o-
 dium indixit. Saltem aliae huius Imperatoris leges *Cod.*
Theod. tit. *de adulteriis* de mulierum tantum adulterio a-
 gunt, puta l. 1. & 2. quæ res indicio est, non potuſſe
 Constantimum tollere ſimul & ſemel mores in Repu-
 blica diu receptos, & parem a viris exigere caſtitatem.
Quod vero is inter hæc initia christianæ religionis
 efficere non potuit, id robustiori ætate ſuccelfores præ-
 titere. Sane Theodosius junior, ut alias plures, ita &
 hanc quoque diuortii cauſam, ob viri ſeſilicet adulteri-
 um admifit in L. 8. *Cod. de repud.* Denique Iustinianus,
 si cum aliena muliere maritus commercium ha-
 buiffet, *Nou.* 117. & 134. Hinc nouo iure illam mariti
 prærogatiuam in cauſa diuortii eſſe ſublatam, vix opus
 eſt, ut moneam. Idem contigit in illa poena, quæ do-
 tem & donationem propter nuptias afficit. Nouo e-
 nim iure & que virum cum alia rem habentem ac ad
 mulierem adulteram pertinet. Vti enim hæc amittit
 dotem vxori donationem propter nuptias, *Nou.* 117. c. 8.
 ita ille reddere dotem vxori ipſique donationem pro-
 pter

pter nuptiās relinquere obligatur, cit. Nou. c. 9. Quæ veteri iure paullo aliter erant. Eo enim vxor quidem adultera dotis iacturam faciebat (ant torius, an vero partis nunc non dispuo) vt probant leges I. n. §. 3. ff. ad L. Iul. de adult. l. 47. ff. soluto matrim. & Auctores alii, in primis Horatius Sat. II:

Cruribus hec metuat, doti depensa;
 & Valerius de Fannia C. Titinnii Minturnensis vxore nonnulla referens L. VIII, c. 2. §. 5. Quæ res, nisi fallor, ex veteri iudicio originem ducit, quod de moribus adpellabatur, quo vxor ob detectam turpitudem sexta dotis parte mulctabatur, vel octaua, si turpitudo videretur leuior. *Vlpiani fragment. Tu. VI.* de dote §. morum. Virum autem veteri illo iure hoc modo non fuisse punitum, in proclui est causam allegare, quia videlicet eo tempore virorum impudicitia extra legis pœnam erat. Tanta vero fuit olim diuertendi ab vxore adultera necessitas, vt, qui iniuriam leti sui neglexisset, & vxorem adulteram apud se retinuisse, lenocinii reus fieret, atque infamiae notam incurseret, l. 2. §. 2. l. 29. princ. ff. ad L. Iul. de Adult. Quæ res plus nihil docet, quam adulterarum odium non tantum non remisissè, verum in tantum creuissè, vt alios quoque paullo indulgentiores corripuerit, iisdemque pœnis, vt adulteras ipsas, inuoluerit. Inde enim est, quod olim, si extraneus ex Lege Iulia adulterii accusationem instituere volebat, prius maritum nimis pati- entem lenocinii accusare debebat, l. 26, ff. ad L. Iul. de Adult. Hanc autem lenocinii notam metuere non poterat vxor facilis & mariti libidines æquo animo ferens; in quo fermie dixerim meliorem esse eius, quam viri,

con-

conditionem, nisi perspicuum foret, id venire ex defectu juris, qui impedit vxores, quo minus matrimonii sui labem vlo vindicare modo queant. Potius laudem meritæ sunt apud Veteres illæ feminæ, quæ maritorum incontinentiam generosa patientia dissimulauerunt. Testis est Valerius Maximus L. VI. c. 7. n. 1. Tertia Aemilia Africani prioris vxor, mater Cornelie Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne dormitorum orbis Africani femina o) impudicitiae reum agereret, tantumque a vindicta mens eius absuit, ut post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret. Eodem pacto inter elogia Liuiae Augustæ illud non fuit minimum, quod maritum peregrinos amores sestantem non tantum summa lenitate tractauerit, sed & ipsa sæpius fuerit horum amorum conciliatrix & altrix. Verum novo iure rursus mutatio facta, istaque, quæ fuit lenocinii intuitu inter maritum & vxorem differentia abolita est, partim Constantini constitutione, qua extranei omnes ab adulterii accusatione arcentur, partim Iustiniani lege, qua prohibetur maritus dimittere vxorem, nisi adulterii conuictam, Nou. u7. c. 8.

§. 2. Maxima autem maritalis priuilegii pars ver-

fa-

o) Nolo omittens Lipsii ad hunc locum animaduisionem, docentis, mores Romanorum hac in causa etiam in linguam & sermonem migrasse. Sic enim ille: *Impudicitiae vox non in virum conuenit, eumque qui libidinose agit, sed, qui, queue patitur. Latini quidem ita. Exemplum hic contra, si locus rectius. In veteri uno est INCONTINENTIAE, ir altero IMPATIENTIAE. Ex quo ego rescribam IMPOTENTIAE. Ne is, inquit, qui potens tot hostium, parum potuisse in se coercendo videtur. Proba omnino lectio.*

sabatur olim in adulterii accusatione. Facto enim di-
uortio maritus accusaturus adulteram vxorem intra
LX. dies omnibus extraneis præferebatur, etiam patri,
l. 2. §. pen. l. 3. l. 4. §. 1. l. 14. § 2. ff. ad L. Iul. de Adult.
Deinde Constantini lege n. Cod. Theod. tit. ad L. Iul. de
Adult. & XXX. Cod. Inst. eod. iii. alius accessit marito fa-
uor, quo ab inscriptione in crimen liber factus calum-
niæ iudicium metuere amplius con cogebatur: poter-
at enim ex nuda suspicione accusare. Nam quum, vt
dicit Imperator, maritum in primis genitalis tori vindic-
cem esse oporteat, multum sane iusto eius dolori tri-
buendum fuit. Vxor vero plane ab accusatione arce-
batur, tametsi de suo matrimonio violato queri vole-
bat, l. 1. Cod. ad L. Iul. de Adult. Quod non aliunde ori-
tur, quam ex negato feminis tori honore, & maiori ca-
stitate ab illis quam a viris requisita. Sed hic iterum
Iustinianus, sua in pulchriorem sexum liberalitate du-
ctus, mutationem quandam fecit iusque receptum
magno virorum incommodo correxit, quando Nov.
17. c. 8. §. 2. maritos adulteras accusatueros iubet in-
scribere in crimen trepidante stylo, & calumniæ iudi-
cium vereri. Et hæc fere fuerunt præcipua iura, ve-
teribus legibus marito vxoris adulterio læso indulta,
quæ eo fine adduxi, vt eluceret, maiori semper odio
habitæ impudicas feminas, maioremque sexus illius
castitatem fuisse requisitam. Quod de iure Romano
tam certum est, quam quod certissimum. Vnicum tan-
tum superest, quod negotium alicui facessat, ideoque
e medio ame tollendum. Est id rescriptum Antoni-
ni, quod conseruavit nobis Augustinus L. 2. de adulte-
rinis conjugiis, & Vlpianus in L. 13. §. 5. ad L. Iul. de

D

Ad-

Adulti. his quidem verbis: Index adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudice vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quae res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter virosque communicare. Vnde facile quis argumentum ducat, nec iure Romano esse diversitatem inter feminas & viros ratione pudicitiaz. Sed hic dupli responsione vtar: Primo enim dictu non erit absurdum, rescriptum, quod refert Vlpianus, singulare ius constituere, nec ideo communi iuri obesse debere. Deinde, quod magis placet, pertinere videtur illud rescriptum ad priuatum de moribus iudicium, in quo cum vtrinque bona fide & ex æquitate magis agebatur, non mirandum, iudicis esse dixisse Vlpianum vel Antoninum, ut etiam in viri mores, quoad is mulieri malum exemplum præbuisset, inquireret. De publico autem adulterii iudicio res explorari iuris est, solam Romano iure feminam respici, læsionemque per eam marito illatam, quod hic ipse Vlpiani locus in fine confirmat. Ita enim: *Quae res potest & virum damnare, non vero rem ob compensationem mutui criminis inter virosque communicare, i. e. maritus potest quidem propter malos mores in priuato iudicio succumbere, vxor autem tueri se non potest criminis compensatione in publico iudicio, nec ideo poenam adulterii evitabit. Quando vero dixi in adulterio solas feminas iure Romano respici, non id ita debet accipi, ac si crederem, virum omnino non posse adulterii reum fieri. Foret id contra notissima istius iuris principia. Hoc volo, virum sui*

ma-

matrimonii intuitu non teneri Leges Iuliæ sanctione; quæ ut monstrauit hactenus maiorem castitatis feminæ rationem habuit. Quin vero propter alienum matrimonium violatum in illius legis pœnas incidere queat, adeo nullum est dubium, vt qui id negare auderet, is, quid sit Lex Julia, nescire sane sit credendus. Hac parte æqualem esse tam viri temeratoris alieni tori, quam mulieris adulteræ conditionem, parum abesset, quin mihi persuaderem, nisi obstaret Glossæ & Doctorum auctoritas, qui etiam hic diuersitatem quandam se inuenisse arbitrantur. Indicauit enim, cum supra de origine nostri brocardi agerem, glossam in L. Palam 43. §. quæ in adulterio ff. de Ritu nupt. vbi de infamia propter adulterium imminentे quæstio est, distinctionem inter sexum excogitasse, & feminas quidem in adulterio deprehensas, quamvis noui damnatas, ipso iure infames pronunciare, viros autem non nisi sententia iudicis conuictos. De priori membro nos dubitare non sinunt clarissima adductæ legis verba: *At si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit, notata erit.* Ego puto, esti absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamen notam illi obesse: quia errorum est, eam in adulterio deprehensam; quia factum lex, non sententiam notauerit. Alterum vero membrum argumentis legum probant: quæ de viro non nisi adulterii damnato infamiam prædicant, vt l. 2. §. 3. ff. de his, qui not. inf. &c l. 14. ff de Testib. conf. Ludv. Romanus Singul. 825. & Marqv. Freher de infamia c. XVI. n. 1. Clamant hic omnes, si diuersitatis rationem exigas, maiorem a feminis quam a viris requiri castitatem, indeque grauioribus pœnis illarum, quam horum, impudicitiam coerceri; vrgent etiam, inauditum esse, vt pronun-

citatio sermonis in texu feminino ad' masculos porrigitur : quod fieri deberet, si legem illam 43. æqua ratione in masculis valere velimus : quid? quod , cum pœnales leges strictissime sint interpretationis, res mali exempli foret, constitutas in unum sexum pœnas ad alterum extendere. p) Nescio, an ad maius illud adulterarum odium referam singulare quoddam pœnæ genuis, feminis adulteris proprium, quod in eo confitebat, vt adultera lupanaribus includeretur ad promiscuam scortationem, pulsis tintinnabulis, quo earum supplicium omnibus innotesceret. Hoc si ita esset; eiusmodi conseſtarium inde ducerem, Romanos quidem quod ad viros adulteros in consuetis pœnis, relegatione puta, deportatione, vel cervicis amputatione substitisse, quod ad feminas vero adulterii odium adeo dilataſſe, vt quotidianis pœnis non contenti novas inventirent, atrocioresque excogitarent. Dubiam autem mihi huius rei fidem facit, quod in toto Codice Theodosiano nihil de hac pœna inveniatur, quam tamen a Theodosio abolitam scribit Socrates L. V. Histor. Eccl. & post eum Nicephorus. Nicephorum quidem facile mendacii damnarem, scriptorem novum & fabulis assuetum : Verum de Socrate modestius, saltem hoc capite, sentiendum iudico, qui Theodosii ætate vel nihil vel parum est inferior, qui, quid suo tempore aetum fuerit, probe haud dubie intellexit. At enim nolo rei satis obscuræ inhærere; potius fatebor, Iustini anum sua constitutione meliorem fecisse pœnæ intauitum feminarum adulterarum conditionem. Is enim tam pro-

p) Adde obſeruata Cuiacio ad Paulifent. lib. II. Tit. XXVI.
n. 14.

prolixia fuit in feminas benignitate ut Nou. CXXXIV,
c. X. iis adulterii conuictis remiserit visitatam adhuc
gladii poenam, & in leniorem mutauerit, castigationem
potius, quam poenam, præcipiens, ut adultera prius bene
verberata in monasterium detrudatur, detrusam, si maritus velit,
intra biennium sine fraude recipere eidem liceat: sin minus, ut
tondeatur mulier monasterioque in perpetuum mancipetur. Quæ
constitutio quamvis multos habuerit Censores quod fre-
na laxer mulierum impudicitæ, & veterem seueritatem
subruat, (confer Præsidis Obseru. Select. ad rem liter.
spectant. T. I. Obs. VIII. p. 218. lit. u) non abrogauit
tamen receptam adulterii definitionem, quæ crimen
hoc ad solam tori alieni violationem restringit & ma-
ritos solitarum amores venantes ab eius vltione liberat.
Quare adhuc Iustinianeo iure meliorem hac parte con-
ditionem esse virorum, quam seminarum, non dubito
pronunciare adhuc amplius.

§. VII.

Nostra autem praxis, quæ hic abit a iure ciuili &
æqualem ab vtroque sexu in adulterii quæstione desi-
derat castitatem, vnice iure nititur Canonico, & Pa-
trum, quibus Decretum in primis superbit, placitis.
Scilicet diu iam conquesta sunt veneranda Ecclesiæ lu-
mina de inæquali illa castitatis exactione iure Romano
stabilita, deque nimia in virilem impudicitiam indul-
gentia. CHRYSOSTOMVS Hom. XIX. in cap. 7. prioris
ad Corintb. & Hom. V. in priorem ad Thessalon. legibus
Romanorum μονχαῖς in uiris impunitam fuisse que-
ritur, causatus, in aliis sit prærogativa viri, in pudici-
tia non. ASTERIVS, qui sub Arcadio vixit, itidem legi-

D 3 bus

bus Romanorum scortationem, πορνείαν, in viris criminis vacasse deplorat. Opponunt hac parte semper Romanorum leges & Christi præcepta, tanquam perpetuo inter se pugnantia. Pari ratione LACTANTIVM L. VI. c. 23. Inſt. Diu. animaduertimus philosophantem: Non enim, ait, ſicut publisi iuris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet aliun, maritus autem, ethi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus: ſed divina lex ita nos in matrimonium, quod eſt in corpus viuum, pariure coniungit, ut adulterio habeatur, quisquis compagem corporis in diuerſa diſtraxerit. Exemplo continentie docenda eſt uxor, ut ſe caſte gerat: Iniquum enim eſt, ut id exigas, quod ipſe preſtare non posſis. Sensus idem in GREGORIO NAZIANZENO, οὐδὲς ἀπαιτεῖται, εἰν αὐτιφέγγει, quomodo ἔχεις, οὐδὲ non reperdis? Iungo his AMBROSIUM ex c. 4. c. 32. q. 4. Nemo blandiatur ſibi de legibus hominum. Omne ſuprum adulterium eſt, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro que ab uxore debetur caſtimonia. Quicquid in ea, que non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii criminis damnatur. Adde ſis HIERONYMVM ad Oceanum in Epitaph. Fabiolæ: Aliæ ſunt Leges Cœſarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcepit. Apud illos viris impudicitiae fræna laxantur, οὐ solo ſupro atque adulterio condemnato paſsim per lupanaria οὐ ancillas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet feminis, aequo non licet viris, οὐ eadem ſeruitus pari conditione censetur, conf. c. 20. c. 32. q. 5. Quæ testimonia ſingula in vnum collata probant, Patriæ in matrimonio aequalia iura valere voluisse, patrem caſtitatem tam a viro quam ab uxore exigentes. Hinc non potuit alia in iuris canonici fines penetrare
ad.

adulterii definitio, quam quæ a Gratiano ad c. 14. c. XXXII, q. 5, ex Aug^{ustin}o legitur excepta: Adulterium committitur, cum vel proprie libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contrapactum coniugali concubatur, atque ita frangitur fides. cf. can. XV, cauf. & quæst. cit. Addes totam Qu. VI. cauf. 32. quæ non tantum æqualia viri & feminæ iura afferit, sed etiam maiorem a viro castitatem exigit, c. 4. Vnam tantum in adulterii causa hoc iure inueni differentiam inter virum & vxorem, sed eam perquam exiguum. Scilicet per can. Christiana, c. 32. qu. 5. vir liberius adulteram vxorem deferre potest, vxor autem propter latenter viri turpitudinem non facile auditur. Verum primo statim obtutu ex inspectione huius canonis patet, hoc non ideo fuisse statutum, ut maior castitas feminis imperetur, sed vt caueatur, ne vxores leuibus s^epe suspicionibus ductæ, quibus semper magnopere indulgere solent, pacem domesticam intempestiuæ accusatione turbent. Plus negotii exhibet AMBROSIUS in c. 17. c. 32. q. 7. vbi ex Apostoli mente dicit, vxorem a viro non posse discedere, nisi causa fornicationis, quod si discesserit, manere debere innuptam, aut viro suo reconciliari; viro simili ter non licere dimittere vxorem (nisi ex illa fornicationis causa,) ideo vero, adjicit, Apostolum non subdere de viro, quod de oxore premisit, (quod scilicet diuortio facto a secundis nuptriis abstinere debeat aut reconciliari) quia vero liceat ducere aliam: Quo ipso aperte videtur Ambrosius differentiam inter virum & vxorem statuere & maiorem ab uxore requirere castitatem; sibi ipsi contrarius fere propter can. 4. c. 32. q. 4. Sed hunc nodum facili opera dissolvant doctissimi inter Pon-

Pontificios viri, Sextus Senensis, Bellarminus, aliquie,
qui commentarios hosce in epistolas Pauli (ex quibus canon ille desumtus) vel Ambrosii omnino non
esse, sed Hilarij cuiusdam, Diaconi Romani & Lucifera-
riani, qui antiquior paulo fuit Ambrosio, vel non esse
puros Ambrosii, sed interpolatos contendunt. Illa i-
gitur iuris Canonici doctrina de æquali mariti & vxoris
iure in castitate inuicem exigenda in tuto collocata, ni-
hil amplius supereft, quam vt fiderter concludamus,
nostram praxin vnice inde fluxisse, quæ adulterium a
quacunque persona matrimonii vinculo constricta, siue
masculo, siue femina, definit, ac duas adulterii species
tenet, simplex & duplex, &, vt breuiter dicam, æqualem
ab vtroque sexu castitatem requirit, quando de adulterio
vindicando agitur.

§. VIII.

Quod si nunc meam sententiam audire placet, quid
mihi secundum rectæ rationis & juris naturæ principia
videatur, vtrum pari iure censendi sint vir & vxor in
adulterii causa, & an vterque æquali ratione impudici-
tia sua violet matrimonii sanctitatem? paucis accipe:
Ita enim animum induco, hanc quæstionem depen-
dere ab illa altera, sitne polygamia licita, nec ne?
Ea vero cum distinctione est definienda. Polygamia
muliebris quidem, seu ea, qua mulier pluribus viris mi-
scetur, quin iure naturæ simpliciter prohibeatur, adeo
nullum est dubium, vt ad eam damnandam omnes fe-
re gentes consensisse videantur. Repugnat enim du-
plici ratione scopo coniugi. Primo mulier, quæ cum
multis confuescit, inepta est ad pariendum, quod cer-
tissimis experimentis constat; deinde, et si pareret, li-
be-

berorum educatio, quæ esse vix potest sine societate quadam constante & non interrupta, & sine patre certo, aut plane deficeret, aut casui forte & fato esset relinquenda. Quod quam si à ratione absonum, nemo est, qui non comprehendat. Aliud dicendum de polygamia virili, seu ea, quæ vir pluribus feminis iungitur, quæ, quamvis a morali perfectione absit; tamen, quia finem matrimonii primarium, a quo tota res est diiudicanda, non prorsus impedit, iuri naturæ stricte sic dicto non adeo videtur repugnare. Nolo me controuersiæ in hac cauilla magnis animorum motibus olim & nunc agitatæ in gerere. Tantum optarem, ut ne illi, qui hic manibus pedibusue obnoxie omnia faciunt, ut castissimi appareant, circulos moralis doctrinæ, iurisprudentiæ & Theologiæ turbarent temere. Præmunita igitur virilis polygamiæ licentia, facile foret ad defendendum, vxorem non posse queri de q) viri adulterio, deque fidei violatione. At vbi r) ciuitatis

E

tis

- Q) Hinc in Republica Iudaica, quæ polygamiam saltem tolerabat, maritus adulterium non committebat, nisi innupta, aut alii despontata, vid. Seldenus de Vxor. Ebr. L. III. c. XI.
- r) Quare cum iure Romano polygamia simpliciter fuerit prohibita, l. 2. C. de incest. nupt. l. 18. C. ad L. Iul. de Adult. ita vt de ea in Rempnublicam introducenda frustra olim laborauerint Iulius Cæsar & Valentinius, vid. Sueton. in Cæsare c. 52. & Socrates L. 26. Hist. cap. IV. non dubitarem, siue cum nupta siue cum innupta rem habentem maritum, adulterii reum facere, etiam hoc iure. Sed aliud sua sit recepta adulterii definitio legibus firmata & corroborata, vt huius non viderent Prudentes argumenti connexionem.

tis lege & meliori noui fœderis interpretamento illa est prohibita, vel pacto vxor sibi cauit de alia noue non inducenda, alia omnia sunt dicenda. Cum vero e contrario muliebris polygamia iure naturæ sit prohibita, non multis opus est ambagibus, non ciuitatis lege, non speciali pacto, ad vxorem illico adulterii dammandam, sic ubi se cum alio viro communicauerit. Quæ cum ita sint, non ambigo pronunciare, vbi de adulterio quæritur, maiorem castitatis feminæ, quam virilis, etiam de iure naturæ strictè sic dicto, ad quod in foro respicitur potissimum, vbi externæ pacis turbamenta cauentur, haberi rationem. Praeclare hanc in rem rationes subduxit Conradus Rittershusus, Vir clarissimus, Sacrarum Lecl. L. VIII. c. 2. p. 573. Cuius differentia, inquit, si quis a nobis rationem querat, in prompta est, eam reddere, nempe hanc; quia quando nuptia nostra cum alio viro rem haberet, incerta nascitur soboles, & maritus pro suis liberis agnoscere cogitur, qui non sunt, sed in ipsis thalamum suppositi, sicut cuculum aiunt oua sua in curucæ nidum imponere ab hac fouenda excludendaque: & quemadmodum perditæ aliena oua sibi supponere perhibentur. Haec partus & familiarum confusio plurimum noceret Reipublicæ, & ingenuitati, boneque indoli & educationi, quæ fundamentum & basis est Reipublicæ. Non est autem hoc idem metuendum in altero quoque casu. Nam extra iustasnuptias nati matrem sequuntur, quæ semper est certa: sed pater is esse præsumitur, quem iustænuptiae demonstrant, l.s. ff. de in ius voc.

§. IX.

Non substituit autem Romanorum legum severitas in nuptiarum seminarum pudicitia afferenda, sed innuptas

ptas quoque pudorem turpiter profanantes grauissime
coercuit. Talis seueritatis exemplum statuerunt in il-
las, quæ se servis vel alienis, vel propriis iunxissent.
Vespafianus apud Sueton. c. II. iterato auctor fuit Sena-
tui decernendi, ut quæ se seruo alieno iunxissent, an-
cilla haberetur. Deinde Constantinus M. poenali san-
ctione, quæ titulum absoluit in Codice, capit is suppli-
cium indixit iis mulieribus, quæ se seruis propriis iun-
xerint. Diuersum in masculo ius. Is enim seruam
alienam sectans nulla poena tenetur, nisi id poenam vo-
care velis, quod dominus ancillæ contra illum L. A-
quiliæ, vel iniuriarum actione agere queat, aut, quod
proxime hic pertinet, de seruo corrupto litem moue-
re. De eo vero puniendo, qui cum ancilla propria
consueverit, plane silent leges, nec reperitur seueri
quid statutum in heros, in foro externo, conf. L. VI.
C. commun. de manumiss. Sed mihi hanc inter virum &
feminam differentiam indicasse sufficiat, tanquam se-
cundum doctrinæ nostræ, quæ maiorem a feminis
quam a viris, requirit castitatem, effectum. Plura
hoc argumentum egregie ornantia suppeditat Gund-
lingianorum Pars X. nuper demum publici iuris facta.

§. X.

Tertium locum in doctrina nostra adsignamus
secundis nuptiis, quarum odium magis feminas, quam
viro grauasse animaduertitus. Feminas certo uno
viro contentas maiori semper in pretio apud Ro-
manos fuisse loquuntur plura antiquitatis monumen-
ta. Ita Valerius Maximus L. II. c. I. refert: Olim
que uno matrimonio contentæ fuant, corona pudicitiae

honorablebantur. Existimabant enim, eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositum virginitatis cubile in publicum egredi nesciret. Tacitus Annal. L. II. c. 86. memoriæ prodidit, cum de electione Vestalis virginis ageretur, prælatam esse Pollionis filiam non ob aliud, quam quod mater eius in eodem coniugio manebat. Alias prærogatiwas vniuirarum memorat Tertullianus a Lipsio ad hunc Taciti locum adductus: Monogamia apud Erhnicos in summo honore est: ut & virginibus nubentibus vniuira pronuba adhibeat, & sic auspicii initium est. Item in quibusdam solemibus & auspiciis, ut prior sit vniuira locus. Certe Flaminia nonnisi vniuira est. Imo sufficere videbatur feminis immortalitati afferendis vnius matrimonii ad posteros propagata memoria. Hinc vniuira epitheton creberrime inuenimus in epitaphiis veterum positum. Afferro doctrinæ gratia binas ex Fabretto inscriptiones, quæ nos de ea re plane dubitare non sinunt, Sunt illæ ex Cap. IV, p. 324. num. 448, & 449.

RECANIAE. C. F.
MECIANAE . CON

IVGI . INCOMPARABILI

VNIVIRAE . ET . CASTISSIM.

QVAE . SIBI . NVBSIT . III . K . FEB.

VIXIT . SECVM . AN . XVII.

T . FL . LIBERALIS . FEC.

HEDONICVS , MARITVS,

HIC

(37)

HIC REQVIESCI
T IN PACE PLA
CEIA VNIVIRA
QVAE VIX ANN PL M
XXXV PC BASIL VC
PER INDICTiONE
QVARTA ANNO
XXCIII.

Mulieres e contrario secundo nubentes magno semper
contentu prosecuti sunt Romani, multorum matrimonio-
rum experientiam quasi legitimæ cuiusdam intemperantia
signum credentes, ut ait Valerius cit. I. Legitimam intem-
perantiam adpellat secundas nuptias. Nam, et si lege
permittente; intemperanter tamen facit, quæ plurium
se concubitu quasi prostituit; non secus ac Martialis.

Quæ nubis roties, nonnubit, adultera lege est.

Offendor mæcha simpliciore minus.

Adulteram dicit eam, quæ prioris viri torum nuptiis
sæpe iteratis polluit, quod quia lege facit non prohi-
bent, adulteram vocat legitimam. Dido Virgiliana,
quum post mortem Sichæi mariti de coniugio Aeneæ
cogitaret, tandem exclamat:

Huic vni forsan porui succumbere culpæ.

Non possum praterire egregium Plutarchi locum, ex
quo discitur, veteres a secundis seminarum nuptiis adeo
abhoruisse, ut eas tanquam rem mali exempli omni mo-
do tegendas & e conspectu hominum subducendas iudi-
cauerint. Plutarchus postquam varias causas allegaverit

E 3

illius consuetudinis, qua nuptiae virginum non celebabantur diebus festis, viduarum autem non nisi diebus festis hanc etiam afferat in Quæst. Rom. Η μᾶλλον ὅτι τοῖς μὲν παρθένοις καλὸν μη δίλγων, τοῖς δὲ χήραις αὐχρόν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι, ζηλότος γάρ ὁ πράτος γάμου, οὐ δὲ δευτερος ἀπενικτοῦσσος. Βιχύνονται γάρ αἱ ζεύτων τῶν περιτερῶν ἑτέρους λαμβάνωσσυ, ὁδονταγανδεῖν ἀποθανόντων, Οὐτε ήτοχία χαίρει τοῖς μᾶλλον ἡ θεοῖς βοεσι καὶ προπομπάς. Αἱ δὲ ἔορται πειριπώτι τὰς πολλὰς, ὡς τοῖς ταῖς έτοις μὴ Χοράζειν. Aut quia decori est virginibus, nuptias eorum multis praesentibus peragi idemque viduis dedecori? prime enim nuptiae operande sunt & in pretio secunde votis recusande, quod vel cum turpitudine nubunt vivente priore marito, vel cum luctu, si sis moriuss. Itaque vidue ad suas nuptias quiete magis gaudent, quam frequentia hominum & tumultu: festiuitates porro multititudinem ad se trahunt, neque nuptiis vacare patiuntur, Nempe festis diebus, quibus urbs spectaculis, iudicis aliisque solemnis distinebatur, minori cum dedecore nuptiae viduarum celebrari poterant, quæ alias risibus & contumeliis accurrentium fuissent expositæ. Hoc viduarum secundo nubentium odium adeo infedit Romanis, vt aliquando fere cum damno Reipublicæ, multis bellis tum axhaustæ, id exercuerint, Camillusque Censor ciues suos vix sapientissimis horationibus ad nuptias cum viduis, quarum tum multæ erant, ineundas adigere potuerit, vt referunt Plutarchus & ex eo Alexander ab Alexandro,

§. XI.

Veram igitur originem causamque odii, quo leges secundas nuptias onerent, non aliam puto, quam mores hominum inveteratos & in Republica Romana diu

diu seruatos; qui mores, vt feminas tantum, non viros, nuptias iterantes molestia affecerunt; ita & leges eos secutæ primario in feminis hoc capite fuerunt latæ. Elucet id ex toto titulo Codicis Theodosiani de secundis nuptiis, cuius omnes leges de feminis solum loquuntur, claro indicio, penas ibi in secundo nubentes statutas ad masculos non pertinere. Magis adhuc confirmat meam sententiam expressa Lege 2, inter viros & feminas distinctio. Iubet hæc lex matres secundo nubentes, si liberos ex priore matrimonio superstites habeant, quidquid ex facultatibus prioris mariti quoquo titulo pleno proprietatis iure adsecutæ sunt, vel etiam ex successions vnius liberorum, ad illos primi matrimonii liberos transmittere, possidendi tantum in dies vita iure seu vñfructu concessio, demta omni alienandi facultate, sed salua libris proprietate: Patres contra ad secundas nuptias transeuntes nullo vinculo adstringit, sed monet tantum, pietatis & legis exemplo & religiones timore proposito, vt id ad se sperrari finant, qnod iuris necessitate matribus imperatur. Presumebat scilicet Theodosius M autor huius legis (exscribo Gothofredum accuratissimum commentatorem) patres haud tam facile nouercalibus cessuros delinimentis & infestationibus, quam facile sequio sexus, seu matres mutato concubitu a sobole alienante depravantur. Sed & paterni nominis reverentia, legem hanc vix admittit. Quamuis autem Theodosius Iunior hanc Aui sui in patres indulgentiam abiecerit, eosque ad secundas nuptias migrantes eidem s) necessitati, vt matres, obnoxios reddiderit per

L. 5.

s) Quamuis non eodem modo: Pater enim vñfructuarius rerum prioris matrimonii cautionem vñfructuariam

L. 5. C. de sec. nupt. mihi tamen satis est demonstrasse, odium secundarum nuptiarum in iure nostro a feminis incepisse, & in masculis demum desissē.

§. XII.

Supersunt nihilominus tria adhuc, si recte putauit, in legibus Romanis capita, quæ iuris diuersitatem circa odium secundarum nuptiarum sexus intuitu inducunt, feminasque deterioris conditionis faciunt, quorum primum in reuocatione donationis propter ingratam liberorum mentem, secundum in anno lucretus, tertium in tutelæ ademptione se exserit. Cum enim patri liberrima sit facultas reuocandi donationem propter beneficiorum obliuionem, ut velex L. 2. Cod. Theod. de reuoc. donat. appareret; tamen mariti ea non datur nisi viri nupiæ & a secundis nuptiis abstinenti. Stabiluit hoc ius l. 7 Cod. nostri de reuoc. donat. qua Autores eius Constantinus & Constantius (vel, vt habet inscriptio legis l. Cod. Theod. h. t. Constantius & Constans) nouam feminis secundo nubentibus fibulam imposuere, veteri iure ignoratam, quippe quod matribus, æque ac patribus, non attentis secundis nuptiis, donationis reuocationem propter filii ingratum animum concedebat. Crediderunt autem Imperatores, liberorum caritatem exuere ferme secundo nubentes, & in praesentis matrimonii suavitatem nimium propensas præteriti coniugii memoriam profusus delere. Quo ipso factum, ut vitium obliuionis cum simili vitio compensaretur. Illud sane etiam Iustinianum probas.

am præstat, scuti mater, vt ita adhuc dum melioris fit conditionis sexus virilis quam muliebris l. 6. C. de sec. nupt. & l. 6. §. 2. & l. 8. §. 4. in fine C. de bon. quæ liber.

se docet subiecta citatæ legi VII. *Authentica*, quæ de-
sumta est ex Nou. XXII, c. 35. nisi quod exceperit tres
grauissimas caussas, quibus ius reuocandi donationem
propter ingratum liberorum animum etiam matri bi-
nubæ esse voluit saluum.

§. XIII.

Alterum, quod feminas secundo nubentes deter-
oris conditionis facit, pertinet ad festinationem secun-
darum nuptiarum intra annum luctus, quæ in viris pla-
ne non improbatur iure Romano, in feminis vero a-
cerbe punitur. Viri enim uxores suas fugere non com-
pelluntur, l. 9. ff. *de his qui non. infam.* Feminæ autem,
quæ neglecto luctu intra annum nuperint, non tan-
tum infamiam incurront, qua Edictum eas norat l. l.
h. t. sed & secundus maritus, paterque qui nuptias
fieri passus est, eadem macula adsperrgitur. Dices,
quid hoc ad præsentem doctrinam? cum ideo sta-
tutum sit potissimum, ut feminum confusio, ut in-
certi partus occasio euitaretur, periculum ab embry-
one ex immaturo concubitu timendum averteretur,
reuerentia defuncto marito debita ab iniuria vindicare-
tur, non ut maior castitas a feminis requireretur. Sed
respondeo duobus modis: Primo enim quamvis con-
cederem, adductas causas in prohibitione secundarum
nuptiarum intra annum luctus solas militare; præmu-
niui tamen iam superius viam, qua elabi potero.
& maiorem a feminis requiri castitatem, etiam hac par-
te, probare. Cum enim §. IV. monstraruerim, casti-
tatem iuridicam a Legislatore non semper primario,
sed per consequentiam imponi, videor mihi hic obti-
nuisse, quod volo, nempe feminas eo ipso maiorem

F

ca-

castitatem seruare, quam viros debere, dum intra annum luctus ad nouas nuptias conuolare prohibentur, licet verum esset, id ipsis prohiberi non propter castitatem, sed propter causas modo allegatas iustificas. Et haec vero ita sunt comparatae, ut, si ad examen reuocentur, non adeo magni momenti videantur. Quod enim ad seminis confusionem attinet, quam magnopere crepant, ea a prudentioribus Medicis constanter negatur, & nunc plane inter antiquas fabulas numeratur. Partus incerti metus vero tanti non videtur, ut ad eum euitandum integer annus feminis viduis prescribi debuerit, cum vel quinque pauciorum mensium spatio de partu certiores fieri possimus. Nec embryonis periculum tam vrgens erit, vt propter id feminis nuptiae secundae intra annum interdici debuissent, licebit enim mihi cum B. Beyero (vid. *Diff. de Concubitu intra tempus luctus c. I, §. 26.*) de eius veritate propter experientiam Medicorum contrariam dubitare. An vero debita marito defuncto reverentia tum efficax fuerit, vt Legislatores ad constituendum seminis hoc luctus tempus impellere potuerit, itidem dubito & ferme nego cum eodem Beyero rationibus non ineptis innixo. Quae cum ita sint, nemo nobis vitio vertet, quod hanc secundarum nuptiarum intra annum luctus prohibitionem ad effectus nostrae doctrinæ retulerimus, eamque potissimum odio talium nuptiarum traherimus, in quo gratulamur nobis consensum viri summi Iacobi Gouhofredi, qui in *Comment. ad L. 2. Cod. Theod. tit. de secundis nuptiis aperte profitetur*, studium tantum refrænandæ muliebris libidinis huic legislationi causam dedisse. Nec terret nos obiectio laudata

dati Beyeri cit. loc. §. 29. Nos enim hic solum respi-
cimus, quid factum non autem, an recte, an prudenter fa-
ctum fuerit.

§. XIV.

Tertium caput solis feminis molestum secundo
nubentibus, ut breuiter dicam, hoc est: Quamuis ve-
teri iura feminæ ad tutelæ virile officium nunquam ad-
mitterentur, datum tamen fuit matri, dein auiæ, ut fi-
liorum tutelam legitimam susciperent volentes & pe-
tentes ne prorsus sperni videretur materna pietas na-
turalisque in liberos propensio. A qua cum multæ
descicerent, nouique matrimonii dulcedine captæ res
priorum liberorum vel negligenter curarent, vel pla-
ne perderent, cautum tandem fuit, ut viduæ feminæ
tutelam liberorum suorum prensantes eiurarent secun-
das nuptias liberis damnosas, indeque legibus inui-
sas. Sed ne sic quidem satis coercita videbatur leuitas
inconstantiaque sexus mollioris, & ad violandam iuris-
iurandi religionem, obiecta noui matrimonii suavitate,
facilioris: quare simpliciter & sine circummissione statuit
Iustinianus, ut primum ac feminæ filiorum suorum tu-
trices nouo matrimonii vinculo se adstringerent, ipso
iure solutum esset tutelæ officium materni amoris in-
tuitu indultum, quem nunc nouis nuptiis inhiantes
depositisse credebantur. vid. *Authent. Sacramentum C.*
quando mulier tut. off. ex Nou. 94. c. 2. Quin tam
constantii odio prosequuntur feminam secundo nu-
bentem Doctores nostri, ut, licet denuo viduam factam,
nunquam redire velint ad tutelam semel amissam, quod
rationibus & præjudiciis probat Mynsingerus L. III.
obs. 83. **Q**ua in re honoratior multo est conditio pa-

tris, quem, quantumvis nuptias iterantem nihil impedit, quominus legitimam filiorum emancipatorum tutelam continuet.

§. XV.

Libet nunc etiam paucis dispicere, quomodo secundæ nuptiæ in iure Canonico aestimantur, & qua parte hoc abeat a iure ciuili. Certum quidem est, Patres (nam hi consulendi sunt prius, quam canones ipsos adeamus) a secundis nuptiis omni tempore vehementer fuisse auersos. Dura sane est Hieronymi in secundas nuptias sententia, quam ad Furiam e Camilli gente oriundam perscripsit: *Habes præterea gentis tuae grande priuilegium, quod exinde a Camillo vel nulla vel rara vestre familie scribitur secundos nosse concubitus: ut non tam laudanda sis, si vidua perseveres, quam execranda, si Christiana non serues, quod per tot seculo geniles feminæ custodierunt.* Imo fuerunt quidam & inter hos primæ auctoritatis Tertullianus, qui Montanum secuti secundas nuptias plane pro illicitis habuerunt & Christiano homine indignis. Quos vtut damnauit Nicænum Concilium tamquam nimis seueros, fuit tamen semper in Ecclesia creditum, secundas nuptias numero illarum rerum contineri, quæ cum permittantur, non id eo commendantur, aut prorsus approbantur. Plana mens Chrysostomi Homil. II. in Epist. ad Tit. *Nobis profecto omnes, quod et si per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet.* Quid? quod idem Chrysostomus c. 9. c. XXXI, qu. 1, non dubitat profiteri, secundas nuptias esse honestam fornicationem. Et Hieronymus c. 10. ead. caus. & quest. affirmit, ob fornicationem vitandam permitti viduis

mu-

mulieribus secunda matrimonia. Hinc est, quod ~~ea~~
non III. Synodi Neocæsariensis, qui ex versione Irido-
ri refertur apud Gratianum c. 8, c. 31. qu. 1. secundo
nubentibus pœnitentiam imponat, hinc etiam est, quod
iepoloyia iis denegetur c. 1, X. de secund. nupt. & bigamus
a prærogatiua fæcerdotii arceatur, c. fin. dist. XXVI.
Nec difficitur in Paulinis Epistolis aliquid reperiri Pa-
trum sententiæ conforme. Saltem *Campegius Viringo*
Synag. Iudaic. L. III, Part. I. c. IV, loca de Episcopo
vnius vxoris viro & vidua vnius viri vxore huc non in-
commode ex 1. Epistola ad Timoth. trahit, cuius Phi-
losophiæ rigor demum animos Ecclesiæ Patrum occu-
passet. Verum ex his omnibus & paribus imprimis
poenis appetet, quæ partim vtrumque sexum æquali-
ter afficiunt, partim solis masculis applicantur, ius
Canonicum doctrinæ nostræ parum fauere: sed æqua-
lem potius castitatem ab utroque sexu exigere. Pene di-
xerim, data hoc opera aboleuisse pœnam infamiae iure ci-
uili feminis intra annum luctus nubentibus inflictam,
ne vsquam deterioris conditionis redderentur istæ.

§. XVI.

De iure hodierno non opus est, vt hic multis a-
gam. Conuenit id enim in eo cum Canonibus,
quod a pœna infamiae feminas intra annum luctus nu-
bentes liberet, ceteras autem pœnas, in fauorem po-
tius liberorum prioris matrimonii, quam in eodium se-
cundo nubentium stabilitas, seruet in utroque lexu æ-
quales. Nisi forte hoc ad maiorem castitatem a femi-
nis requisitam censeas referendum, quod plerique le-
ges prouinciales & statuta particularia breuius luctus
tempus masculis præfigant, longius feminis. Demum

& hoc forsitan nostram quadam tenus iuuabit doctrinam, quod Bejerus cit. Diff. de cennub. intra temp. luctus C. 3. legibus & responsis probat, illicitum concubitum vi-duae feminæ intra tempus luctus grauius puniri, quam Viri luctus tempus profanantis. Interea antequam hinc abeam, dubium soluendum est. Quod si enim certum est, Paulum quoque secundas nuptias non commendasse, sed potius improbasse, quomodo Concilia potuerunt culpare Tertulliani severa decreta, quomodo etiam in foro & Christiana vita recedere ab illo rigore poterimus ipsimet? Ad quod breuiter cum doctissimo iterum respondeo Vitrina l. c. p. 664. Non omnis ratiōē Apostolica, quam ratio docet non pertinet ad existentiam religionis, omni loco & tempore absque exceptione obseruanda est: sed sunt illae prudenter attemperande variis casibus & moribus populorum, qui disciplinam Euangelii receperant.

§. XVII.

Quartum doctrinæ nostræ effectum nobis suppeditat materia de liberorum exheredatione. Est enim explorati iuris filiam meretricem a patre iuste exheredari, eiusque querelam inofficiosi non audiri. Diuersum in filio luxuriose viuente obtinere dicunt, quippe quem cum lex non notet, nolunt paternæ vindictæ subiictere; immo exheredato inofficiosi querelam concedunt, nouum exemplum præbentes maiori odio feminarum impudicitiam haberi, quam virorum,

§. XVIII.

Sed antequam hanc rem definiamus, videndum de vocabulo meretricis, & quomodo id in iure nostro accipiatur. Quod si namque hoc loco illa tantum mere-

tri-

tricis nomine veniret, ut strictissime sumitur, quæ corpore quæstum facit, quæue in lupanaribus, in fornici-
bus omnium libidini, pro mercede patet, satis causæ in-
uenisse mihi videret, cur in exheredatione filii id caussæ
non potuerit accipere locum. Monstri enim simile
visum fuit omnibus gentibus, masculum feminarum li-
bidinij seruire, mercedem accipere, stipendia mere-
ri. Vnde mihi persuadeo fere, Legislatores ne co-
gitasse qnidem de specie eiusmodi in opprobrium se-
xus præstantioris nedum fingendo voluisse: Quin po-
tius credo, si cogitare voluissent de tali exemplo, id il-
los inter præcipuas causas iustæ exheredationis fuisse
relaturos. Vix enim maior concipi iniuria patris in-
tuitu potest (hæ enim in exheredatione imprimis re-
spicitur) quam hæc ipsa virilis sexus profanatio. Ve-
rum, si Vlpianum audimus in L. 43, §. 3. ff. *de Ritu Nupt.*
satis apta oppositio inter filios & filias propter vitam
luxuriosam exheredandos poterit formari. Recte e-
nim Octauenum affirmare statuit, eam etiam, quæ sine
quæstu palam se prostituit, debuisse meretricibus con-
numerari. Quis igitur nunc dubitabit, nisi qui mores
corruptos omnium seculorum ignorat, dari iuvenes, qui
sine delectu, qui palam se vilissimis scortis miscent, qui
omnia stabula ganeaque perreptant, & flagitiosam fœdi-
tatem ubique circumferunt?

§. XIX.

Ad hos igitur cur nec lustinianus extenderit, nec
Doctores extendant exheredationis pœnam, hanc dixi-
mus, redditionem, quod maior castitas a feminis ex-
igatur, earumque impudicitia maiori odio prematur.
Scilicet monstrauimus iam supra §. 3. non adeo turpe

tu-

fuisse habitum Romanis, adolescentulum scortari, legesque de pœnis impudicitia virilis fere siltuisse. Quare cum filii in continentia non tantopere contumeliosa patri crederetur, non fuit etiam ea inter causas iusta exheredationis relata. Filiae contra impudicitia maximum patri familiaeque imprimis dedecus semper fuit iudicatum, quod persequendum eius generis vindicta permisit Imperator. Inde nec mirum videri debet cuiquam, similes a multis Dd. causas iis, quæ ab Imperatore referuntur, ad iustum exheredationem firmandam admitti; nec tamen sufficere filii vitam cum scortis turpiter transactam, quæ interea persimilis possit videri dedecori, quose suamque familiam filia commaculat. Enimvero, quamvis, ut supra §. IV. docui philosophica consideratione pari passu ambulet filii & filiae impudicitia, sunt tamen diuersa ex opinione hominum communis, & quæ ad eam se accommodati iudica acceptio.

§. XX.

Quintus huius doctrinæ effectus ex eodem exheredationis loco producitur, quem, quia magis argumento legis, quam expressa eius dispositione nititur, maluissem omittere, nisi ratio instituti nostri flagitaret, ut ne quid negligamus illud iuuare aptum. Dicunt enim Doctores, matrem meretricem non posse exheredere filiam meretricem, patrem contra turpiter viuentem iure exheredere filiam meretricem. Causam rogati respondent, differentiam ex eo prouenire, quod maior castitas a feminis, quam a viris requiratur. Quando autem matri meretrici facultatem admunt filiam meretricem exheredandi, faciunt id quidem argumento le-

legis non inconcinno. Statuit Imperator Nou. **CXV.**
 c. 3. filium mimos & arenarios sequentem non posse
 exheredari a patre eiusdem professionis. Hoc propter
 rationis paritatem extendunt plerique ad filiam mere-
 tricem, cuius mater idem vitæ genus elegit, cum mo-
 res, quos quisque in se probat in liberis non reproba-
 re debeat; nec obiici alteri turpitudo queat, qua ipse
 obiiciens laborat. Ita philosophati sunt Bartolus ad *L.*
in arenam II, C. de *inoff. Testam.* Baldus, Petrus a Bel-
 la Pertica, Fulgosius, Philippus Decius, Couarruvias
in p[ro]iect. ad cap. X. de Testam. II. 15. & recentiores ple-
 rique ad d. I. II. C. de *inoff. Testam.* Brunnemann. ad Cod.
 & Gerhard ad Nou. II. 5. c. 3. §. 16. Cum autem in pa-
 tre mulierculario cesseret r[ati]o Nouellæ & dictæ I. II.
 quia secundum communem hominum opinionem im-
 pudicitia masculorum & feminarum inuicem compa-
 rari vel compensari nequeunt, nec filia meretrix pa-
 tri impudice viuentis morem ærnullari censetur,
 plana videbatur conclusio, filiam non habere conque-
 rendi de iniusta exhereditatione a patre facta caussam, ut
 haberet de materna, sit simile vitæ genus esset ample-
 xa.

§. XXI.

Deuenio tandem ad sextum huius doctrinæ effe-
 sum, qui ex Iurisprudentia hodierna sese offert, & ad
 sponsaliorum dissolutionem pertinet. Quando enim
 queritur, an propter corruptionem sponsæ anteceden-
 tem sponsalia possunt dissolvi, uno ore pronunciant
 Doctores, omnino id fieri posse, nisi forte sponsus ad
 misericordiam pronus condonare velit fraudem sibi fa-
 stam. Aliter autem plerique iudicandum censem de

G

for-

fornicatione sponsi sponsalia antecedente, eamque nolunt iustum sponsaliorum dirimendorum adfirmare ac probare causam, freti imprimis nostro brocardico, maiorem a feminis quam a viris requiri castitatem. Patronos ex primis huius sententiae laudo Paulum Cypraeum de Sponsal. c. XIII, §. 57. Val. Guilielm. Forsterum, de Nupt. c. VIII. Erasnum Vngewaterum Exerc. Iust. III. Quæst. S. Oswaldum Hilligerum Donell. Encl. L. XIII c. 20. Finckelthusum Obs. 30. n. 85. sqq. G. G. Titium in der Probe des Teutischen Geistl. Rechts L. IV, c. 4, §. 12: nec abnuit Carpzouius, licet dissentiens, plerosque ita sentire.

§. XXII.

Est autem totares paullo altius repetenda, & disserimen, quod hic inter sexum statuitur, ad rationes suas exigendum. Agitur hic de errore circa virginitatem interceptam, deque dolo alterius concurrente. Quo ipso excludimus qualemcumque scientiam, vel supinam ignorantiam, quæ efficiunt, ut neutri parti impune a contractis sponsalibus liceat recedere, in primis cum tali conditioni, quam vel sciebant, vel nescire non poterant, acquiesce videantur.

§. XXIII.

De errore igitur circa virginitatem quando quaestio est, non diu defatigabimur in conceptu virginitatis subtiliter formando, vel in t) signa eius curiose inquirendo: ut quæ altioris indaginis sunt, & Medicis,

i) Quodsi vero perquisitioni huic aliquid dare velis, conf. BAYLE Dif. Hist. & Crit. voce Demoerite & CAROL. ANNIBAL FABROTTI Exerc. XIV. Pag. 59. 60.

in incerto versantibus transcribenda. Non est etiam nostrum cum Achillo Tatio altercari, qui planerubat, an aliqua viris virginitas insit, L. V. de Amore Clitopb. & Leucipp. Mihi ille illane ex populari significatione virginitatem amisisse dicitur, qui feminæ se miscuit, quæque virum est passa. Quomodo is quisque proberet, id cuiusque arbitrio relinquendum censeo. Probatione rite facta de iure quæstio superest, num propter talē circa virginitatem errorem sponsalia plane dissolui queant? Iure Romano nihil nominatim de hoc constitutum inuenitur: nec enim lege opus fuit, repudiorum licentia per se satis laxa. Quin plane nuptias eiusmodi ob errorem dirimi, suadet iuris analogia, quæ errorem ab omni bonæ fidei negotio vult abesse. Si quis virginem se emere putasset; cum mulier venisset, exempto competit actio ad resoluendam emptionem, ait Vlpianus in l. ex empto n. §. 5. de action. empt. u) Quis dixerit minorem fidem in nuptiis ineundis requiri, quam in emtionis venditionis contractu? Saltem iure Græco expedita res est, talēm errorem nuptias dissoluere. Constantinus Harmenopatus Edit. L. 4. tit. 12. §. 10. refert Patricii sententiam existimantis, nuptias dissolui, si vir probauerit, mulierem ante nuptias virum expertam ac deuirginatam fuisse: quæ Constantinus exscripsit ex

G 2 Ba-

v) Scribit quidem idem Vlpianus in l. alioquin. 11. de contr. empt. emptionem valere; in sexu enim erratum non esse. Sed Vlpianum ab Vlpiano non dissidere cerrissimum est: putat enim emptionem quidem valere, nec ob id redhibitioni locum esse, quod mulier viata venierit: hoc enim Aedilitio Edicto non contineri, sed tamen iure ciuili actionem competere ad distrahendam emptionem, d. §. 5.

Basilicōn L. LX. tit. 37, in fin. a Cuiacio ita in latinum conuersis: *Egit quis statim ac inuenit uxorem suam corruptam die solenni nuptiarum, & eam expulit: illa vero negat Romanus ita decreuit: si ipsa nuptiarum nocte statim lecto exierit vir, & testatus sit domesticis, atque cognatis mulieris, deuirginatam esse eam, rem aliter iudicari.* Sed si die nuptiarum hoc non fecerit, nec quidquam dixerit, sed obmutuerit, non esse ei ius expellendi eam. *Quod si die nuptiarum manifestum fecerit, vitiatam esse eam, solui matrimonium debere, adulterii muliere haud quamquam condemnata, quia ante nuptias peccauit.* Quæ constitutio supplere poterit Romani iuris defectum, si illud est deficere, rem generalibus principiis iam definitam verbis non determinare. De sponsalibus autem, (nam de his imprimis agimus) clarissime cauit Leo Imp. Nouella celebri XCIII. ea propter sponsæ vitium antecedens iure dissoluī. At ius Canonicum statuit, eiusmodi errorem nihil facere ad sponsalia dirimenda, cum tantum qualitatis sit error. Quam decisionem incrstant illepedi Gloffatores distinctione inter substantialia & accidentalia matrimonii, credentes, se inuenisse, non quod pueri in faba, simul ac clamantes, errorem circa x) virginitatem pertinere tantum ac accidentalia, ideoque nihil detrahere sponsalibus.

§. XXIV.

x) Et ne dubites de prolixa Canonum in corruptam virginitatem benevolentia, vid. cap. 20. X. de spons. quod misericordiae genus ex matrimonio cum mere-
trice facit. Imo Clerici remissionera peccatorum ea ratione obtineri, laici persuadere fatigentur, quos
ea propter acriter perstringit Berneggerus ad Tacit.
Quest. 106. Cum enim, inquit, tota ratio pra reliquis sa-

pe

Hic vero magno conatu obſiſtunt Euangeliſi Doctores & dicam Canoniftis ſcribunt, errorem hunc circa virginitatem ad accidentalia tantum matrimonii referentibus, quem iſpi omniſino ſubſtantialia tangere ſibi perſuadent. Verum enim vero, ſi dicendum quod res eſt, melius cauſe ſuę conſuliffent, ſi neglecta hac incondita & fallaci diſtinzione inter ſubſtantialia & accidentalia matrimonii ſimpliciter dixiſſent, errorem de virginitate, qui ſine dolo alterius concipi vix poteſt, conſenſum ſpondentis excludere, adeoque ſponsalia ipſo iure reddere nulla: Qua via quauis uitari ſubtileſ disputationes rectiſſime docuit Illiſtris Thomasius in not. ad Lancell. L. II. Tit. XII. §. 1. p. 863.

Quod utcunque ſit, ſufficiat, in eo conſentire Noſtrates, ſponſum propter errorem in virginitate ſponſæ recedere poſſe a ſponsalibus. Cur autem plerique ſponſæ in virginitate ſponsi erranti idem ius non concesſerint, has potiſſimum rationes in medium ferunt: Sponſam ab alio compressam & defloratam, quæ ſe pro virgine gerit, magnum tum marito decepto tum liberis poſtea naſcituris præiudicium afferre, dum illum onere alendi pullos perfide ſubiectos grauati, hiſ vero fratrium ſpuriorum allectione & in domum illatione patrimonium minuit. Quæ ad virum applicari minime poſſunt. Hic enim nemini oneri eſt, G 3 dum

pe luxuriosa ſit, & caret uxoribus, opera danda ſuit, et ampliaretur facultas luxuriandi, quod neque celebris ille Practicus Papensis (eſt iſ Io. Petrus de Ferrariis in praxi aurea) diſſimulare potheit.

dum suos liberos, licet illegitime natos, alit, nec legiti-
timi propterea conquerari possunt, quippe quibus satis
legibus est de successione prospectum. Forte etiam ad
differentiam hanc illustrandam non nihil facit, quod
sponsi vitium non adeo in oculos incurrat, nec tam fa-
cile probari queat, ut sponsæ turpitudo, quæ se satis vteri
gestatione prodit, & probationem minime artificialem
fuggerit: *Peperit, ergo non est virgo.* Nec displicer mihi il-
lud differentiæ, quod acutissimus *Titius* vrget, quodque
a moribus sæculi est desumtum. Cum enim iuuenum
virorumque ea sit depravatio, & indies crescens licentia,
ut vix centesimus credatur illibatam seruasse castitatem
non præsumitur etiam sponsa eam in contractu sponsa-
lito subintellexisse, quia sciuisse præsumitur mores sæ-
culi, nec sponsus turpitudinem suam celans videtur dolo
aliquo celasse: sponsus e contrario sponsam sibi quærens
semper præsumitur quæsiuisse incorruptam, tum pro-
pter rationes primo loco positas, tum etiam propter per-
petuam illam distinctionem, quæ moribus nostris inter
virgines & feminas virum expertas nomine, externo ha-
bitu, dignatione seruatur. Quin semper adeo exosæ fu-
erunt Germanis nostris nuptiae cum deflorata, ut in pro-
verbium abierit: *Enn, qui scienter meretricem vel stupra-
tam ab alio dicit, vel esse iam, vel fore hominem nequam:* vid.
Hert. Parœm. iur. Germ. L. I. Parœm. 12. Vol. I. Opusc.
Quare quilibet sibi cauere creditur ab eiusmodi maçula,
quæ sæpe ignorantis & erranti, quem pro sciente & volen-
te habere solemus (sunt enim homines suspicionibus de-
diti) inuritur. Femina autem illi nubens, qui antea
libidinose vixit, nostris moribus talem maculam

ti-

timeret perperam, cum certum sit, iuuenes virosque
quacunque de num labe affectos facilius inuenire vxo-
res, quam maritos feminæ leui tantum, ignominia la-
borantes. Quæ rationes singulæ in vnum collectæ ab-
unde demonstrant, differentiam, quæ hoc capite inter
sexum statuitur, nihil absurditatis habere, cum sit inni-
xa moribus longa consuetudine firmatis, & rei ipsius
veritate.

§. XXVI.

Verum enim vero intercedit hic *Carpzonius*, vir in
sacris tribunalibus maximæ semper auctoritatis. Hic
etenim in *Iurispr. Consil. Def. 188.* exæquat masculorum
& feminarum iura ratione sponsaliorum propter ante-
cedentem fornicationem dissoluendorum, his fere ra-
tionibus inductus: Facilius & pluribus ex causis rumpi
sponsalia, quam matrimonium consummatum, cum
turpius eiiciatur, quam non admittatur hospes; deinde
ex sponsi vita turpiter ante acta facile astimare pos-
se sponsam, qua constantia seruaturus fit coniugii fi-
dem futurus maritus; quin inciuale videri iniustum-
que sponsum a sponsa exigere castitatem, quam ipse non
repandat. *Carpzouio Strykius* assentitur in *Diss. de Dis-
sensi sponsal.* eosque libidini vela pandere censet, qui
hic maiorem castitatem a feminis, quam a viris requi-
runt, cum nec ius diuinum distinguat, nec leges ciuiles
quidquam differentiæ statuant, argum. l. 13. §. 5. ad *L.*
Jul. de Adult. coerc. & *Carpzouii* sententiam in supremo
Saxonie consistorio calculum meruisse testimonio Ni-
colai Iureconsulti *Tract. de Repud.* & *Divort.* probat.
Addo his Matthæi Wesembecii argumentum e *in. ff.*
quod quisque iuris &c. desumtum in *Parat. ad π. tit. de*

Ri-

Ritu Nupt. n. 8. qui parem libertatem sponso & sponsæ
in repudio propter antecedens vitium mittendo tribue-
re non veretur. Quamuis enim is hoc argumento ita
vtatnr, vt a negata hac sponso diuertendi libertate pro-
cedat ad eandem sponsæ negandam, adeoque prorsus
diuersam tunc a nobis, tum a nostris dissentientibus sen-
tentiam amplectatur; animaduerti tamen, idem fibi
vindicasse eos, qui parem feminis & viris libertatem in
diuortio faciendo volunt concedi,

§. XXVII.

Evidem non is ego sum, qui tantis auctoritati-
bus temere se opponere ausit; tamen nemo mihi spero,
vitio vertet, si demonstrem, rationes oppositas non
adeo esse firmas, vt vadimonium deserendum propter
eas illis sit, qui maiorem a feminis castitatem in hac caus-
fa requirunt. Vix autem admotione opus amplius esse
crederem, nos hic non agere Philosophos, qui castita-
tem ad moralis disciplinæ normam exigant, secundum
quam æquali omnes tam viri quam feminæ vinculo
obstringuntur (*vid. supra §. IV.*) sed Iureconsultos,
qui vel de iuribus sine pacto nobis competentibus,
vel de iuribus pacto quæstis disquirunt; nisi aduer-
farios huic in primis scopulo allisos animaduertissem,
confusis Philosophi & Iureconsulti partibus ince-
dentes. Quod si enim perpendissent, de violatione
iuris hoc loco quæstionem esse, quem sponsus sponsæ,
non hæc illi, obiicere potest, vt ostendimus §. 25. non
aliter forte, atque nos, aut fuissent, aut forent pronun-
ciatur. Quod cum neglexerint, non portuerunt non
in vagas & incertas ratiocinationes prolabi. Saltem
Carp-

Carpozouius semper principium petit & id fundamenti loco ponit, de quo est quæstio. Ut enim haud difficulter ei concedo, pluribus & leuioribus de cauiss rumpi sponsalia, quam matrimonium, id tamen nunc indagatur, an eas inter cauissas sponsi turpitudo sponsalia antecedens sit referenda? Altera eiusdem ratio, quod facile sit æstimatu, quomodo is, qui ante sponsalia turpiter & libidinose vixit, seruaturus sit matrimonii fidem, plane a dinersis ad diuersa concludit. Negamus enim, fecisse sponsum aliquid, ex quo æstimari possit, eum non fore seruaturum datam postea fidem, nisi probetur, sponsam in contractu sponsalitio hanc illibatae virginitatis conditionem sibi esse stipulatam, ut ea contra sponsam in fauorem sponsi vtique debet præsumi. Tertia ratio, non exigere posse sponsum castitatem, quam ipse non rependit, adeo aperte principium petit, ut de ea verbum non censem addendum. Nec *Strykii* nos tantopere mouere debet auctoritas, ut nostra propterea sit relinquenda sententia. Quod enim ille tanquam certum præponit, Legem diuinam sexum non distinxisse, id constanter negamus argumento illius sanctionis Deuteronomii cap. XXI. qua feminæ vitium corruptæ virginitatis dolose celanti lapidationis pœna infligitur, in virum autem eiusdem turpitudinis coniunctum nihil statuitur seueri. Quod quarnuis primario ad præsentem tractationem, vbi non de pœna, sed de obligatione agitur, non pertineat; monstrat id tamen, singulari odio Legislatorem esse prosecutum feminas defloratas, nec cauissam habuisse Strykium, cur ad Legem Mosaicam prouocaret. Dum

H

au-

autem idem legum Romanarum auctoritatem nobis obuerit, nocuisse magis, quam profuisse, caussæ suæ videtur. Quienam ea, quæ supra de adulterio ex mente Romanorum disseruimus, probe pensitauerit, is ne nubitare quidem yterius poterit de maiori castitate a feminis requisira. Legem, ex qua argumentum dicit, eodem iam explicauimus loco: qua si quis ad hanc quæstionem vellet abuti, fane ad vniuersale a particuliari argumentum videtur ducere. Qui vero Wefembecii ratiocinio sibi placent, eos iterum rogo atque iterum, vt prius ex Romana discant iurisprudentia, quid sit ius quoddam in alium statuere, & eodem post, ea vti-

§. XXVII.

Tandem dabo etiam aduersariis nostris, (sum enim insigniter liberalis) sponsalia propter antecedentem fornicationem ab utraque parte æquali iure rumpi, dabo, masculis sponsis nihil esse præcipui indulgendum: non ideo tamen vsus brocardici nostri prorsus euaneat. Matrimonio namque consummato, si vxor deflorata vel grauida reperta est, uno omnes affirmant ore, diuortio relinqui locum; e contrario si post nuptias demum vxor de mariti sui impudicitia certior facta est, nemo affirmat, illam iure diuertere, cum tamen, si tantum æqualitatis seruandæ studium eos teneret, non debuissent non pro vxore diuortium virginem pronunciare. Sed hic Rhodus! (ita eleganter arguit Illustris THOMASIVS in not. ad Lancell. l. II, Tit. 12, not. 372 p. 866.) Carpzouius certe, quando locutus, pro incrustanda sententia sua facilius & pluribus ex

ex caussis rumpi sponsalia, quam matrimonium pernici-
rias consummatum, statuit, satis aperte, credo indi-
cat, se non probaturum diuortium propter impudici-
tiam mariti antecedentem: quo ipso deteriorem femi-
narum conditionem ipsem agnosceret videtur. Quare
nihil reliquum est, quam ad doctrinam nostram re-
currentes fateamur sincere, MAIOREM A FEMINIS,
QVAM A VIRIS REQVIRI CASTITATEM, ET ATRO-
CIORI ODIO ILLARVM QVAM HORVM IMPUDICITIUM VI-
DERI OBNOXIAM,

§. XXIX.

Ita finire possemus hanc dissertationem, nisi au-
tem vellicaret alia differentia, quam Doctores quidam
inter masculos & feminas excogitantes inuita Minerua
huc trahunt. Cum autem circumspectis rationibus
omnibus animaduerterem, hanc differentiam inter ef-
fectus spurios esse referendam, merito vitium eam
locum occupaturam censui. Nam dum in substitutione
fideicommissaria querunt, num, si pater rogauerit fi-
lium, ut alii restituat hereditatem, sub conditione, si
finelibet decesserit liberi naturales impedianc substi-
tutionem, in eo conspirant fere plerique, filii quidem
naturales id efficere, filiae autem liberas non item, sed
substitutioni fideicommissariæ locum facere, quia pater
non cogitasse credatur de liberis filiis turpiter quæstis,
quippe a qua maior castitatis exigatur portio atque a fi-
lio. vid. Tiraquellum ad L. Connub. I. n. 45.

§. XXX.

Sed videndum ante omnia, an quod de filii liberis
naturalibus afferunt, in iure nostro fundatum sit. Adse-

H 2

uerant

uerant autem id Dd. vulgo per I. XVII, §. 4. ad *SC. Trebell. conf. Mattheacius L. 3. Epit. Leg. c. 20. n. 1.* Forsterus *VI. de success. 15.* Negant humaniores Iureconsulti, Connanus, Duarenus, Goeddeus, Huberus, aliisque & rectius. Est enim clarissima legis 6. ff. *de his qui sui vel al. iur. sunt definitio*, qua non aliis filii nomine insignitur, nisi qui ex viro & vxore eius, i.e. ex legitimo matrimonio, natus fuerit. Vnde firmissimum argumentum duci potest, eum, qui conditionem, si sine liberis adposuit, non alios liberos intelligere quivisse, quam quos lex eo nomine dignatur. Adhuc aperitor est *L. 6. Cod. de Instit. & subst.* quæ conditionem, *si sine liberis*, a lege præsumtam in substitutione a patre facta non nisi de iusta sobole capiendam indicat, etiam si institutus & grauatus sub dicta conditione est naturalis: in qua tamen specie maior adesse ratio propter similem qualitatem videbatur. Et hac regula firmata facili negotio respondeatur ad Legem a dissentientibus pro sua opinione allatam. Ea enim non loquitur de nostra specie, vel si loquitur, nobis potius fauet. Nam enim a Francisco Connano V.C. animaduersum est, deceptos fuisse Dd. naturalis filii ancipiti & dubia significatione, qua non solum spurii notantur, verum etiam ii, qui sunt in seruitute geniti, qui non habent ortum legitimum: neque enim eos lex ciuilis agnoscit. Solo isti naturali iure adiuvantur, ex quo etiam naturales appellantur, cuiusmodi species ast in *I. 88. §. 12. de Legat. II. de quibus Papinianus intelligendus.* Deinde fac (quæ responsio mihi magis placet) naturales liberos in hac lege intelligi, qui extra matrimonium legitimum nati sunt, tamen patet, Vlpiantum Papi-

ni-

niani sententiam paulo generaliorem ex dignitate, voluntate & conditione fideicommittentis ad illos restrinxisse casus, qui l. 88. §. 12. de Legat. II. l. 77. §. 1. ad Sc. Trebell. recensentur, ubi fideicommittens non alios, nisi naturales liberos intelligere potuit. Quæ est exceptio a regula, secundum quam filiorum nomine naturales non veniunt. Exceptionem autem firmare regulam in casibus non exceptis, tralatitium est. Quare nihil impedit, quin, quam nobis venditarunt Doctores differentiam inter masculos & feminas restitutione grauatos, ad non entia iuris pertinere dicamus. Quod enim ne masculis quidem datum est, quare id feminis in eorum odium dicamus negatum?

§. XXXI.

Qnini imo si ex analogia iuris liceret argumentas ri, forsitan id maiorem veri speciem haberet, si conuersa vice diceremus, magis esse, ut in filia restitutione grauata conditio *si sine liberis de naturalibus exponatur*, secundumque in Filio. Feminarum enim liberi naturales, tantum non in omnibus iuris nostri capitibus, legitimis, matris intuitu, æquiparantur. Mater semper est certa, pater vero extra iustus nuptias nullus. Inde est, quod naturalis habent querelam in officio contratestamentum matris l. 7. §. 1. de inoff. testam. inde spurius succedit matri & maternis vna cum legitimis, l. penult. in fin. C. ad Sc. Orfis. nisi sit mater illustris, cuius legitimi liberi excludunt spurios. Quod ideo adnoto, ut eluceat, constituti iure nostro certos quasi feminine pudicitia graudus. Hoc causa constitutionis Imperatoriæ probat, quia in mulieribus ingenuis & illustribus (quibus castitatis ob-

*seruatio præcipuum debitum est) nominari spurios nimis iniutio-
sum nimisque acerbam & sui temporibus sit indignum. Ac-
cedit quod spurii seminarum ad auiæ hereditatem ad-
mittantur (quid potest clarius ostendere, eos legitimi-
mis æquiparari?) per l. 8. unde cognati. Quod amplius,
lege licet non loquente, ad aui materni hereditatem
extendunt, vid. Stryk. de success. ab invest. Diff. I. c. 2. §. 55.
Ex quo consequitur, vt. cum leges nullam faciunt di-
stinctionem, saltem potissimum effectum respectu,
inter liberos seminarum naturales & legitimos, in præsen-
ti specie, potius pro liberis naturalibus filiæ, quam filii
sit pronuntiandum. Sed nolo de his certare, aut alter-
cari copiosius. Sufficit, filii liberos naturales non im-
pedire fideicommisum, vt vulgo decernunt, adeoque
differentiam, Diis hominibusque repugnantibus, con-
quisitam, commentis apparere similem, nec vlti-
maum inter Doctorum nugas consequi
locum.*



PRAESES RESPONDENTI
DISSERTATIONIS AVCTORI


QVanquam de BENZI ob ingenium, diligen-
tiam & eruditionem tuam plurimi semper
feci; nunc tamen ex eo, quod proprio stu-
dio elaborasti, themate tanti de aestimo, ni-
hil ut supra possim. Cui enim ignotum, quam ti-
tubent tirones, cum primum prehendendus est cala-
mus, quam saepe impingant in exercitati, quibus dubi-
tationibus distineantur iuuenes, cum quibus etiam er-
roribus conflictentur iudicem, ubi primum subeundum
in publico discrimen? At tu veterano sane similis es: res,
stilus, elaboratio, illam mentis efficacissimam viam, iu-
risque & historiae & philosophiae profundorem cogni-
tionem satis produnt. Non erat igitur, quod a me
multum auxili posceres in adornanda ac poliendo li-
bello, quem non sine ingenii gloria in vulgus emittris.
Præter libros nihil fere est, quod tibi suppeditauerim.
Quod autem nostra atque aliorum *Professorum* disci-
plina profecisti, iure optimo tuum censetur: quem-
admodum illud appellamus nostrum, quod ipsimet sci-
mus & *Præceptorum* nostrorum voce & studio præ-
eunte hausimus olim. Quod tuo labori teme-
re obiicitur, hoc est: non conuenire adolescenti mori-
bus optimis prædicto disputare de castitatis gradu ma-
iori a sequiori sexu exigendo, atque vulgo postulatur
a præstantiori. Neque enim tu primus hanc qua-
rio-

stionem in medium fers: diu est, ex quo inter Docto-
rum subsellia illa fuit audita, & in clarissimorum vi-
rorum voluminibus agitata. Tantum solidiori iudi-
cio singula discutis, originem, causas, argumenta, con-
sectoria meliori ordine locas, &, post aliorum errores
modestè indicatos, ipso facto ostendis, quam sint isti
insulti & inciviles, qui dissertatione tua non perspecta
aut frontem contraxerunt immature, aut intempesti-
tis iam gemitibus sese fatigantes alia omnia cogitarunt.
Ego vero BENZI indies, mehercule, habeo te cario-
rem. Fac solum, vt, quum maius tibi otium est, ve-
ritatem in omnibus indefessa semper industria queras,
nec vulgarium errorum ætatem ac senium, eorum-
que defensores, vtut acerrimos, timeas. Vincet illa
certo: concidet error: vanescet ineptia: fugient tene-
bræ: in pudorem dabuntur nuguenduli: tuque præ-
miis, quibus illepede isti sunt abusi, vteris aliquando
ac frueris cum insigni emolumento. Vale & Deo du-
ce ac propria virtute comite ad ampliora contendere.

Halæ Magdeburgicæ VIII. Kalendas Martias

CID ID CCXVII.





Halle, Diss., 1797 B II-6




f

TA → OL
nur 1 Stück

B.I.G.

Farbkarte #13



9
C. B. 5. 25. 20. 43. 13. 2
**DISSEXTA IVRIDICA,
QVA DOCTRINA VVLGARIS
MAIOREM A FEMINIS,
QVAM
A VIRIS,
REQVIRENS
CASTITATEM,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO
DOMINO CAROLO,
PRINCIPĒ BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBVRGENSI, CETERA,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE**

NICOLAO HIERON. GVNDLINGIO

ICTO,
SACRI TRIBVNALIS, QVOD EST IN DVCATV MAGDE-
BVRCICO, CONSILIARIO REGIO, IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
ITEMQVE ELOQVENTIAE ET ANTIQVITATVM PROFES-
SORE PVBLICO ORDINARIO,

SVB EXAMEN REVOCATVR

A. R.

IOANNE HENRICO BENZ,

ONOLDINO FRANCO.

AD DIEM FEBRVARII CIO 150XVII.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
RECUSA MDCCXXXVI.